# IORDANUS BRUNUS NOLANUS.
# DE LAMPADE COMBINATORIA LULLIANA.
# AD INFINITAS PROPOSITIONES ET MEDIA INVENIENDA, AD DICENDUM ET ARGUMENTANDUM IUXTA MODUS HABITUS, QUO SALTEM QUISPIAM DE QUOCUMQUE SUBIECTO DESCRIPTIVAM QUANDAM ET QUALEMCUNQUE QUID NOMINIS HABEAT RATIONEM. EST ET UNICA CLAVISAD OMNIUM LULLIANORUM CUIUSCUNQUE (GENERIS) OPERUM INTELLIGENTIAM, ET NON MINORA PLURIMA PYTHAGORICORUM CABALISTARUMQUE MYSTERIA CONSEQUENDA ETC. AD AMPLISSIMUM WITEBERGENSIS ACADEMIAE SENATUM.
# WITEBERGAE, Anno MDLXXXVII

### AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE D. D. RECTORI ET WITEBERGENSIS ACADEMIAE SENATUI IORD. BRUN. NOL. S. P. D.

Non usque adeo generosi cordis esse crediderim, celeberrimi clarissimique DD., irae impetu non capi, indignationis livore non infici, et oblatas iniurias aequo perferre animo, ulcisci nolle, moxque etiam heroicae cuiusdam magnanimitatis aspergine e memoriae libro obliterare, quam ex alia parte vilissimae, mortalibus Diisque invisae conditionis animum, qui ultro pro susceptis beneficiis ingratus, pro viribus nulla ratione respondeat. Mihi sane nihil esse videtur tanta indignitate efficax ad humanas divinasque gratias repellendas, nihil quod cum eiuscemodi tartarea lue collatum, ita scutum, immo aeneum montem spirituum oculis obiiciat, quo tanquam Gorgoneo vultu animorum universorum species, corda et ingenia cogat esse aversa, vel in duros implicabilesque lapides convertat. Quem etenim Deorum finxerim, qui idem actionum suarum habeat rationem, et in huiusmodi campum donorum suorum segetem debeat effundere? Quid igitur, doctissimi praestantissimique DD. faciam, ne tot tantisque vestris provocatus officiis, tam putidae foeditatis videar intinctus atramento? Nunquid ubi compensando nihil valeo, praedicando tamen, adtestando et beneficia vestra recensendo, haud dissimulantis ingratique animi notam, quantumvis crasso incultoque stilo conatus exprimere, aliquid in meam causam promovebo? Ego sane quod omnium interesse scio, ad universos refero faciendum, pro tanta universitate, in amplissima, augusta, potentissimaque Germania, principe, summis (quae illi debentur) laudibus efferenda, nempe ad quam ex omnibus Europae (quae sola disciplinarum omnium mater est atque servatrix) regionibus, haud temerata expectatione non solum auditoribus sed et professoribus pro capacitate facilis, liber gratusque patet accessus et incolatus. Caeterum quod ad me spectat, tanta humanitate a vobis principio exceptum, tanta per anni spacium hospitalitate retentum, quem tanta benignitate ita veluti collegam atque domesticum habuistis, ut mihi quidlibet potius quam esse extraneum in domo vestra potuerit occurrere, quid (Dii boni) faciam? Musas, Musas ipsas inclamabo, implorabo, obsecrabo, adiurabo. Illud etenim vos movisse credo, quod inter principes, ubi mutuis concertaverint officiis, usu venire consuevit, qui non tantum in curiae proceribus, sed et interdum non minori diligentia in minimis servis atque administrantibus obsequium erga proprios dominos adtestantur. Haud aliter et vos me suscepistis, acceptastis et mecum ad hanc usque diem benignissime tractastis, hominem quippe nullius apud vos nominis, famae aut valoris, e Galliae tumultibus elapsum, nulla principum commendatione suffultum, nullis (quae vulgus suspicere solet) externis insignitum ornamentis, neque (barbarorum immitis disciplinae hominum perfidorumque iuris gentium temeratorum, eorumque more, quibus illud coelum clausum debet esse atque terra, quam hominibus cunctis vel communem vel socialem a natura ordinatam vel denegant vel nefasta exitialique ratione concedunt) in vestrae relligionis dogmate probatum vel interrogatum, sed tantum quod non hostili, sed tranquillo generalique philanthropia praeditum spiritum, philosophicaeque professionis titulum (quo tamquam minime schismatico et divortioso, minimeque temporibus, locis occasionibusque subiecto, maxime gaudere gloriarique volo) prae me tuli et ostendi, solum quod in Musarum curia alumnus essem, vobis satis esse potuit, ut dignum existimaretis, qui gratissimis ulnis a vobis exciperetur, in album referretur academiae, et in adeo nobilissimorum doctissimorumque numero computaretur, ut non veluti privatam scholam, non praeservatum quoddam conventiculum, sed (quod Germanicas Athenas decet) vere universitatem agnoscerem. His adde, quod cum (pro more ingenii mei) nimis forte amore mearum opinionum raptus, talia in publicis illis lectionibus expromerem, qualia non vobis probatam modo, sed et pluribus seculis et quasi ubique terrarum receptam convellerent philosophiam, vos qui philosophari neque ultimum neque apprime medium finem statuistis, quosque in huiuscemodi studio sobrietatem praeferentes quandam, peregrinis inauditisque capi non iuvat disciplinis, sed illud tantum physices matheseosque genus acceptatis, quod cum catholica theologia consuevit esse coniunctum, quodque ad certum pietatis genus conducibilius videtur et adcommodatius, utpote christianae congruentius illi simplicitati, quae apud vos maxime comprobatur: iam quamvis ea in vestro proponi videretis auditorio, quae licet itidem in regiis Tolosae, Parisiorum et Oxoniae auditoriis obstrepuerint prius, neque ulla ratione aliquod theologiae relligionisve genus in rei veritate oppugnent, ut mihi eruditiores quosque adstipulaturos perpetuo certe scio, quia tamen nova, non hactenus recepta, quia ex primo vultu abstrusa, horrida et absurditatis prae se ferentia speciem, vobisque pietati magis intentis curiosius philosophari minus consulitur, et quia non convenire videtur studiosos vestros tandiu in atriis philosophiae commorari, ut vel nunquam, vel sero, vel aegrius templum vobis approbatae theologiae congrediantur, quod accidet, si aliter eruditi, pro recentioribus addiscendis, ita velint dediscere vetera, ut per extraordinarias et minime praescriptas sibi semitas atque portas attentare velint ad sacra aditum et ingressum: quibus ita se habentibus hic, non (pro more unius vel alterius cuiusdam loci) nasum intorsistis, non sannas exacuistis, buccae non sunt inflatae, pulpita non strepuerunt, in me non est scholasticus furor incitatus, sed pro humanitatis doctrinaeque vestrae splendore ita rem gessistis, ut et pro vobis, pro aliis, pro me, pro omnibus, omniumque vice sapientes esse videremini. Ita enim alienum velut aegrotantem spiritum medica quadam

arte atque pacientia compressistis, ut ea ipsa, quae vos palam pro long nimi quadam benignitate non arguistis, ego ipse ex animo reprobarim. Interim et philosophicam libertatem illibatam conservastis, hospitalitatis vestrae candorem non commaculastis, eximium universitatis decus splendescere fecistis, innatae gravitatis in rebus gerendis rationem non temerastis; nihilo enim minus peregrino et exuli socialem vobiscum vitam agere, ad eas se privatas recipere lectiones atque studia concessum, quorum duntaxat suffragio paupertatis iniurias hactenus reppulisse licuit. His accedit, quod vos interea maligna quadam plurium calumniatorum nequitia importunius sollicitatos, ab ordinaria illa urbanitate, favore, perpetuoque de omnibus benemerendi studio neque avertit neque dimovit unquam. Iam (me miserum) quid agam, a quo tantum abest, ut virtutis vestrae effectus aliquo digno munere ignotus antecesserim, utque vestra officia pari vel impari fuerim concomitatus obsequio? Cur non eo saltem, quo possum, gestu atque voce, quanto omni ex parte impotens, tanto avitis carens indicibus atque testimoniis, excruciatus amplius, ubi meam me attollendo imbecillitatem vincere nequeo, dignus saltem, qui eam vincere possim, haberi procurem? Porro non mediocriter animus reficitur inque spem futuri grati obsequii mei promovetur, in memoriam revocans, heroicos spiritus illis adsimilari Diis, qui aequioribus oculis ad obolum viduae ex arca paupertatis depromptum, quam ad regium munus, quod ex myriade talentorum subtrahitur, inspiciunt. Quamvis igitur vos propter me de principibus Musis optime meritos a superis universorum benefactorum compensatoribus certa manere praemia non diffidam, pro mea nihilominus tenuitate munus istud exiguum (si tamen exiguum dici potest, quod certe ad vestram dignitatem relatum nihil esse omnino videtur) vobis confidentius oblatum esse volo.

Hic super illius adinventionem excolendam elaboravimus, cuius genium summi philosophorum principes habiti admirantur, persequuntur, imitantur; unde Scotigena theologicam metaphysicam, vel metaphysicam (quam scholasticam appellant) theologiam, cum subtilibus aliis extraxisse constat; a quo admirandum illud vestratis Cusani quanto profundius atque divinius, tanto paucioribus pervium minusque notum ingenium, mysteriorum, quae in multiplici suae doctrinae torrente delitescunt, fontes hausisse fatetur; a quo novus ille medicorum princeps Paracelsus (ille inquam, qui in alio non inferiore medicinae genere solus cum Hippocrate primus sedere debet) quidquid animae habet atque corporis accepisse convincitur, quamvis insobrie ingrato ultraque modum ambitioso honor iste non sufficiat, quod ideo tantum ipsi iure debeatur, quia e seminibus, quae Lullius sparsit et occuluit, ipse peracto quasi maturitatis tempore solus fruges noverit emetere, ad ulteriorem praxim revocans universa. Iam vero de Lullio nusquam ipsum meminisse video, nisi ubi exoptatior illi detrahendi locus occurrit. Sed certe quod ad huiusce generis medicinae principia, fundamenta, magnumque ad ulteriora progressum spectat, nemo (utriusque monumentis etiam leviter inspectis) non videbit, usurpatorem furemque ea suum arte latrocinium occultare, qua Maioricanam illius sindonem, contrafactis titulis et portentositate novarum inscriptionum aliisque confictis methodis et ordinibus, vel hic convertit in pallium, vel ibi in Helvetica femoralia dilaniat, nec non terminis quibusdam mutatis, quasi alios ubique superinducere colores attentat, ut ubi ille B appellat lucem, hic dicat ignem; ubi ille C oleum, hic sulphur; ubi ille D fumum, hic Mercurium; ubi ille E cinerem, hic salem, et ita de caeteris.

A Lullii sufficientia ebibita nomen atque gloriam sibi comparare studuit ut plurimum magis suo testimonio vanae, quam plurimorum iudicio contemnendae sufficientiae Cornelius Agrippa, qui propriis super haec commentariis non tam Lullium quam se ipsum illustrare elaboravit. Mitto quantum Lullio tribuat mille in propositis Stapulensis ille Faber, in cuius unica philosophia iuxta Peripateticorum dogmata Gallia gloriatur; mitto Carolum Bouill m, non tam (si Aristarchorum ferulae subiiciantur) orationis stilo Fabro ipso humilior, quam (si e cathedra philosophiae examinentur) ingenio illustrior iudicioque in multiplici disciplinarum genere maturior et excultior, qui de Lullii vita scripsit, Lullianae doctrinae edit ubique specimen et ubique pro summo habet honore, ut Lullianus appareat.

Quamplurimos tandem obscurioris famae viros praetermitto, qui nisi vel laborem pertaesi, vel gloriae vitam anteferentes, vel aliis necessitatis compedibus essent impediti, aut etiam propter rarissimum lucis verae margaritarumque verarum iudicium non contemnerentur, aut in pulvere non sublaterent amplius, procul dubio vel similia iis similes assererent, vel si neque praedictis inferiores fuerint neque pares, longe maiora contestantes Raymundum Lullium revera divinitus in multorum peritia illuminatum profiteri non cunctarentur.

Ego igitur quamvis haec, ut monumenta maiorum meorum adinventionesque referunt, magnifacienda iudicem, si tamen ad insignem doctrinam dignitatemque vestram et id, quod ex me meum vobis offerri puto, animum advertero, haec ipsa, quae de muneris tenuitate retuli, minime retractabo. Qui enim hinc tibi, D. M. Otto, usus, ubi nihil canonum, quod ita dignum arithmeticum tuum laborem sublevare possit, nihil quod nequicquam te ab ita nobili studio non abstraheret? Qui tibi, egreg. D. M. Grunni, qui quam digne professionis tuae titulum fueris assequutus, et ipso nobis vultu Aristippicum acumen natura satis testari voluit? Quidquid certe aliis ingeniis per Lullianam inventionem posset accedere, ipsum ab ipsa proprii spiritus vivacitate possidere videris. An et tua animadversione dignum quippiam producimus, D. M. And. Franckemberger, illius dignissimi cultor artificii, quod admirabilem quemlibet effectum eo illustri splendore verborum antecellit, quo ita hominum quosdam Diis proximiores censendos esse ducimus, ut ipsam hominum speciem maxime facultate sermonis a brutorum similitudine novimus esse seiunctam? Num melancholicae huius (quae Lullio caeterisque philosophis cognata videtur esse) barbariei tibi, disertissime D. M. Reicharde, poterit arridere gustus atque sonus, post epotos nectareos Tullii liquores dulcisonique eloquii (quale velut e campis elysiis exsuscitare niteris) haustam harmoniam? Convenietne, tersissime cultissimeque Poeta, D. M. Albine (quo rectore ut prima ita et potissima academiae sum expertus officia), ad blandisonas Musas, auricomique Apollinis cultum, pannosam Diogenis togam, inculti hispidique eremitae cucullum accedere? Cur non nefas ominosumque habendum, barbatum lanutumque supercilium, nuptiali cultura carens atque veste, heliconium museum introire? Idem tibi, D. M. Nic. Theodene, dictum existima, qui quali quantaque dignitate ulmis Latii conveniat Atticas adiungere vites, optime nosti, quique iam olim Athenis aliisque Graeciae studiosae regionibus defunctas oratorum poetarumque Musas hisce in locis vigere, luce coeloque frui iubes. Quod vero ad te, D. M. Valentine Schindlere, qui sensum sacrum littera sacra notari curas, indicem accentumque sacrum sibi magis cognatis sacris vocibus personari, nec non sensus ipsius fructus quasi e propriae arboris (idiomatis videlicet) ramis, minimeque peregrinorum alienorumque verborum frondibus ornatum, velatum amictumque liceat intueri; in tuis atriis Lullianum hoc opus feliciter digneque haud dubie exciperetur, si ita materiae huic linguae subiectae esset pro rerum gravitate comparabilis, sicut non est pro habitus sermonisque simplicitate (qualis scripturae divinae interpretandae gravitatem, puritatem maiestatemque decet) contemptibilis. Ita quippe dedecere videtur divinarum interpretem literarum forensis illius eloquentiae pompam vel poetices virgineam aemulari venustatem, quemadmodum si coram matrona, honestissimis sanctissimisque liberis, canutum, barbatum annosumque patremfamilias videas purpuratum, annulatum, cincinnulatum, corollatum flori us,

iuveniliter pueriliterque gestientem, quasive ad novas luxuriantem suspirantemque nuptias se praebere, nec tanquam pro gravitate verendum, sed pro venustate complectendum, basiandum et suaviolis excipiendum.

Num hic tibi quippiam tua professione dignum, Doctor excellens D. Strubi, qui ita astronomiam cum medicina coniungis, ut iuxta modum peritiae astrorum, motuum coelestium et temporis vicissitudinum, neque pro subiectorum varietate varium te fallat experimentum, neque te praevenientem occasio praeceps frustretur, neque te sedulum breve possit perperam effugere tempus? An vero tibi, praeclarissime D. D. Scato, ubi gravissimum philosophiae iudicium cum probatissima medicinae peritia copulasti, ubi finem studiorum tuorum tam feliciter assequutus et mentis erudiendorum formator et corporis curandorum reformator optimus existimaris? Non est, o Musis omnibus circumsepte Poeta D. D. Maior, quod ad has voces atque dictiones Pierides istae tuae, quas e disertis Pegaseis fontibus Parnassiisque iugis ad cultos Leucoreos campos Albisque fluminis ripas allexisse et attraxisse videris, convertantur. Tibi vero, egregie, magnifice atque docte philosophici collegii Decane D. M. Gronebergi, quid hic occurrere posset, quod digne ab iis, quae te magis aggravant, occupationibus debeat abducere? Forsan cum Aristone Chio Cynicorum complexus sententiam, hoc opus, ut et physica et logica et id genus alia, tamquam telis aranearum similia (quae cum plurimum habeant artificii, substantiam corporis studiosorum exenterantia et eviscerantia, minimum tandem est utilitatis quod adferant) contemnes, interimque cum philosophis istiusmodi magis amore ethicorum, politicorum et oeconomicorum capiere studiorum. Vos quoque, peritissimi solertissimique artis Apollineae professores, D. D. Valentine Espich, D. D. Franc. Faber, D. D. Alberte Salomon, non est quod a tantae scientiae peritiaeque usu atque doctrina ad organum atque disciplinam istam, quae artibus viam sternit artesque attrectat, deflectamini conspiciendam; cur etenim a principum conclavi, ubi digne cum Avicenna Cordubae regulo, Mesue regis Damasci nepote, Hermete Aegyptiorum, Mithridate Ponti, Salid Arabum, Sabor et Gyge Medorum regibus consedetis, ubi cum Apollinis filio Aesculapio Heroum spirituumque magnorum principe Raphaele, cum ipso Dei cunctipotentis filio atque legato, universarum gentium conciliatore atque redemptore, artem divinitus ordinatam, sancitam acceptamque exercetis: num (inquam) digne extra fores et in atrium pulsantium officialiumque locum revocaremini? Id ipsum quoque vobis dicendum existimo, famosissimi consultissimique I. V. DD., qui circa rationem curae RR. PP. nobilissime versamini, D. D. Petre Hegi, et D.D. And. Reuchbart, argutissime acutissimeque D. D. Eberhart a Weyhe, spectabilissime profundaeque doctrinae D. D. Iohan. Limmere, tuque consanguinitate propinque, fama proxime, sufficientia simillime, loco tituloque par, cognomine idem cum magno illo iuristarum germanorum coryphaeo, clariss. D. D. Petre Wesembeci, mirum si vobis vacet et placeat oculos ad munera Lulliani ingenii divertere, quos (ut decet) omnino ad summum illud Deorum munus divinamque hominum possessionem convertistis, fixistis, intendistis; munus inquam, quale per principes gentium, duces et pastores populorum, Zoroastrem, Trimegistum, Charondam, Solonem, Zamolxim, Platonem, Minoem, Numam, Romulum, Mahumetum, Mosen, et non unius gentis, sed omnium unicum summumque pastorem Christum communicasse dicuntur numina, Oromasis, Mercurius, Saturnus, Minerva, Vesta, Iuppiter, Apollo, Egeria Nympha, Mars, Gabriel, Deus Hebraeorum Iehova, et Deus omnipotens, pater omnium et dominus universi. Numquid et vobis admodum RR. DD. divinae sapientiae professoribus D. D. Andrea Iodoche et famosissime D. D. Ioh. Matthee, licebit quasi per ocium rebus ipsis, imo ipsi quod est intentis, ad umbras rerum oculos aliquando retorquere? Decebitne coelestis doctrinae cultores inque agro magni patrisfamilias aratrum iugi meditatione contrectantes, quasi ad retrospiciendum invitare? Multo minus et te decuisse licebit in superiori gradu constitutum, reverendiss. praesul D. Polycarpe Leysere, qui in duplici principum doctorum cathedra successor dignissimus haberis. De tuo vero ingenio, excellentissime admodumque R. D. Geor. Myli, istius academiae dignissime Cancell., proque optima eius fortuna perpetue administrator atque moderator, quid dicam? Ubi virtutum omnium gratiarumque cumulum ita clarissime apertissimeque licet omnibus inspicere, ut hoc tantum contra te livor habere possit, ut vel de te sileat, vel alacrem illam vivacitatem spiritus, iudicii solertiam, prudentiam in negociis perficiendis, ignitamque illam facundiam, qua in multiplici lingua praepolles, velut immoderata incuset; huic enim soli iniuriae locus esse potest, ubi virtutum splendori nil est quod addi possit. Quid plura? Satis contra calumnias universas armatus et ad laudes omnes digne expositus quilibet esse poterit, si quando tibi similis efficiatur. Te igitur, amplissime, excellentissime clarissimeque D., principis istius acad. Rector D. Iohannes Zangere, V. I. D., qui universitatem istam tanta doctrinae tuae sufficientia honoras, tanta gravitate regis, tanta dignitate conservas, quique adeo promptae praefulgidaeque orationis tuae specimine componis universa: te, inquam, cum admodum illustri (cui praesides) senatu, certiorem esse velim, me non adeo desipere, ut celsitudine conspectus vestri dignum opus istud umquam existimarim. Quocirca ipsum haud quidem eo consilio oblatum dedicatumque creditote, quo vobis evolvendum, legendum examinandumque praesentetur, sed eatenus tantum titulo inspiciendum, quatenus, pro virili, humilis observantiae meae testimonium qualecumque perhibeat.

Valete.

## SECTIO I

# CAP. I. PROOEMIUM.

Quoniam vulgatum satis est in arte Lullii eiuscemodi universalia principia contineri, ut iis iactis veluti fundamentis, de quolibet scibili omnibus numeris examinando, confirmando et defendendo, apte inquirere, copiose invenire, maiorique certitudine iudicare possimus, difficilia enodabo, confusa distinguam, abdita aperiam, obscura elucidabo. Licet enim libentius aliquid ex nobis invenire, et unicuique, pro more, sui laboris et industriae fructum relinquere, quam in alienas fruges escolendas atque triturandas manum convertere nobiscum consulatur, nihilominus tamen considerantes artem istam talem quidem esse, qualem divinus certe Genius rudi incultoque insinuavit eremitae, quaeque a plus quam satis crasso et idiota profecta videatur, id tamen continet, quod tanto alicuius famosi Attice loquentis in hoc genere studium antecellit, quanto triticeae messes hordeaceas, indignum iudicavimus hoc opus tandem ad lucem adversus obruentum tenebrarum reluctans invidiam, opprimi, frustrari, deperdi. Illud ergo adhibuimus studium, ut plane Cimmericum illustraremus, claudicantem erigeremus, nutantem confortaremus, totiesque a temporum iniuria veluti retroactum ad propositam metam perduceremus. Disertorum interim humanistarum grammatistarumve maiestatem suppliciter deprecamur, ut pro diversorum ingeniorum fructibus comparandis pacifice nos permittant, in propriis versando terminis, magis veram certeque optimam ipsissimamque, quam ornatam, fucatam et certe inanem, atque in hoc proposito vanissimam persequi loquendi formulam; illudque (si falli nolint) nobis credant, quod quantum suo (si Diis placet) Tullio consultum esset, a civilibus causis ornata cum persuasione et aulica forensique cultura eventilandis, ad intentandas serias dignissimasque rerum speculationes, ad princ piorum essentialium proprietates, ita ut melius fieri potest, proprie explicandas inclinare, tantum certe operae precium esset ab ea (in qua tam mirabiliter ille excelluit) eloquentia deflectere, quemadmodum et quanto sapientia gravioris matronae specimen edere debet, tanto a cincinnulis puellarum compictoque meretricum cultu distet oportet.

Novarum intentionum repertorem antiquam persequi sermonis formam, rara et inaudita vulgaribus consuetisque dictionibus in quibusdam propositis aperire, nil aliud est praeterquam ut manibus impalpabilia contrectare. Sit igitur ut libet hisce qui se bonarum artium professores iactitant, propter sermonis (ut aiunt) infantiam, Lullius eo quidem contemptibilior, quo etiam inaccessibilior; nos ad ea, quae sub Silenis hispidis meliora contineri novimus, fovenda, defendenda et pro principalibus ingeniis conservanda non segniter animum advertamus, malimusque interdum velut e matris naturae manibus de limosa terra probatum aurum (quod nullus nisi mente captus contempserit) arripere, quam ad floridos tam forte affabre intextos humanistarum calathos, in quibus in pulverulentis gymnasiis puerorumque culinis deprompta, parta, elaborataque stercora continentur, manus admovere vel oculos convertere dignemur, adulti.

Interim non dubito diligentiam nostram pluribus non male dispositis futuram gratissimam, utpote quae a desperatione finis consequendi, in quem ars ista collineat, eripit, inque spem minime vanam promovet et perducit ad scopum. Nec minus de favoris patrociniique nostri cura erga Lullianum adinventum aequos iudices male definituros reformido, utpote qui id praesto, quo mihi occultum aperienti, confusam massam in seriem certam distribuenti, truncum perficienti, mancum integranti, non minus debeatur, quam primo adinventori. Ita enim intentiones eius disponimus, ut non philosophis excultisque ingeniis modo e pomario Lulliano fructus legere liceat, sed quibuscunque excolendis et ad philosophandum non prorsus ineptis, ut iidem exporrigantur, efficimus, quatenus quilibet iuxta proprii sensus facultatem eam possit nactus esse methodum atque rationem, qua ad unam materiam seu considerationis subiectum conceptus ita per infinitum valeat extendere atque multiplicare, ut et ad numerorum elementorumque infinitas progredi licet assumptiones coassumptionesque faciendas. Hinc speculativarum facultatum terminos adepti, ad eandem conclusionem seu positionem innumeras exsuscitare considerationes et argumenta, et ad idem argumentum innumeras opponere solutiones facillime poterunt, dummodo vel discursum bene a natura comparatum habeant, vel arte aliqua ratiocinandi formulam mediocriter fuerint assequuti.

# CAP. II. DE ORDINE ET PROCEDENDI MODO.

## I. Membrum.

Vulgata satis apud Peripateticos caeterosque philosophos est sententia, quemadmodum in iis quorum sunt principia, causae et elementa, ex horum est cognitione procedendum. Cum igitur in praesentiarum eiusmodi nobis pertractanda occurrant, nempe quorum simplicia quaedam sunt causantia, principia et elementa, ut ex eorundem notitia praecurrente procedamus oportet. A partibus ergo ad tota, a portionibus ad integrata regulatus intellectus in horum inquisitione, inventione et consideratione ducatur.

## II. Membrum.

Ut igitur in perlegendi scribendique arte a praeapparatis cognitisque elementis ad syllabarum constitutionem, eque constitutis syllabis ad terminorum seu vocabulorum prolationem manuducitur et expressionem; ita et in regulanda ratione, et intellectus artificiosa formatione, a quibusdam principiis, quae literis plane proportionantur, ad compositionem quandam, quae syllabis est proportionalis, eque hac ad maioris compositionis terminos, velut ad integras dictiones, tentanda est promotio.

## III. Membrum.

Tribus igitur existentibus intellectus operationibus, ut philosophorum schola testatur et per se se res ipsa insinuat, quarum prima est simplicium apprehensio, secunda compositio e divisio seu verificatio, tertia discursus seu argumentatio; a prima ad secundam, a secunda ad tertiam est intentanda methodus. Est autem simplex apprehensio actus sive actio intellectus, qua aliquod incomplexum apprehendit, utpote alicuius termini significationem, vel simplicem intentionem, nempe qua terminus ipse per se sumitur et non cum aliquo alio complicatum alioque adiectum. Compositio vero prima seu (quam ita proprie dici volumus) verificatio, est actus seu actio intellectus secunda, primam consequens, quae plura simpliciter apprehensa connectit, componit, dum invicem haec copulata vel ab invicem dissita valet enunciare. Discursus autem est actio seu actus intellectus, quae ab una ad aliam compositionem vel divisionem, quae ex talibus compositis divisisque consistit, egreditur.

## IV. Membrum.

Simplex apprehensio fit, cum terminum seu definitionem, nempe alicuius esse vel essentiam, concipimus absolute et secundum se, ut cum mente apprehendimus significationem huius incomplexi termini ?Deus?; ipsaque proportionatur primo grammaticorum apparatui, qui docet primo cognoscere elementum A. Compositio fit, cum plura simpliciter apprehensa unimus, nempe ubi de uno aliud affirmamus, ut postquam per primam actionem novimus quid significet ?Deus?, quid significet ?bonum?, mox per secundam noscamus dicere ?Deus est bonus?. Divisio fit, ubi plura simpliciter apprehensa concipimus non posse cohaerere, quandoquidem, noto quid significat nomen ?Deus? et quid significat nomen ?corpus?, ducimur ad negandum alterum ab altero, dicendo ?Deus non est corpus?; et haec actio proportionatur secundo grammaticali apparatui, qui docet connectere consonantem B cum per se sonante A, proferendo syllabam B A, item duarum vel plurium consonantium connexionem absque vocali esse mutam, cognoscendo BC nullam esse syllabam. Discursus sive argumentatio est, cum ex uno composito vel diviso, cum scilicet ex uno affirmato vel negato ad aliud quippiam deductive inde affirmandum vel negandum proficiscimur, ut cum ex hac compositione seu affirmatione ?Deus est bonus?, ad aliquid aliud componendum procedimus sive affirmandum, dicendo ?ergo est sui communicativus?, vel ad aliquid dividendum seu negandum, dicendo ?ergo non invidet?; et haec actio proportionatur tertio grammaticorum operi, quo in dictiones migrant syllabae, et tandem in orationem conflandam dictiones multiplicantur. Sicut ergo dictiones ipsae syllabas, syllabaeque literas praesupponunt ita nullus discurrit nisi prius composuerit vel diviserit, nemo dividit vel componit, nisi postquam simpliciter apprehenderit.

## V. Membrum.

Praesens igitur pertractatio nostra in tres praecipuas partes dissecatur. In quarum prima de simpliciter apprehensibilibus tamquam alphabetum proponentes institutionem facimus; in secunda tanquam in syllabas elementa complectentes, de terminorum ad invicem varia compositione; in tertia tamquam ad completam lectionem vel scripturam promoventes, ea quae ad argomentationis et Lullianae structurae perfectionem faciunt indicabimus.

# CAP. III. DE SIMPLICIBUS VOCIBUS.

## I. Membrum.

Simplices ergo intentiones (quas incomplexos terminos communiter appellant) hae sunt, in quas propositio seu verificatio resolvitur, quae secundum se sumptae nec verum neque falsum significant, sine ipsis tamen nihil verum nihilque falsum intelligitur aut profertur; huiusmodi sunt nomina vel verba, quando extra propositionem per sese capiuntur, definitiones item, ad quarum constitutionem quamvis plures termini concurrere videantur, unus tamen sunt terminus, quandoquidem sine copula, verbo inquam substantivo, ubi nulla est affirmatio vel negatio, nulla itidem verificatio, nullus poterit esse complexus terminus.

Horum alii appellantur categorematici, alii syncategorematici: primi generis sunt, qui per se sumpti aliquid certi et definiti repraesentant; secundi vero, qui non sunt apti ad quippiam, nisi cum alio iuncti termino categorematico, significandum: huius generis sunt signa distributiva, copulae, disiunctiones et (praeter nomina atque verba) id genus alia.

Licet utrumque simplicium terminorum genus usu veniat, ut videbitur infra in rota quaestionum, seu regularum ut Lullius appellat, nos in proposito categorematicorum duntaxat divisionem faciemus.

## II. Membrum.

Simpliciter ergo apprehensibilium alia sunt de quibus aliquid dicitur seu subiecta, alia sunt quae de aliquo dicuntur seu praedicata; haec enim sunt, in quae omnis verificatio resolvitur, ut in hac propositione ?Mundus est aeternus?, ?mundus? capitur ut de quo aliquid dicitur, ?aeternum? autem ut quod de aliquo dicitur.

In omni igitur verificatione seu problemate nihil est quod ulterius inspicere potissimum possimus praeter duo haec praecipua, quibus adnexi postmodum intelligantur modi, copulae, non quidem ut enunciationis partes, sed ut partium totiusque conditiones atque accidentia quaedam.

Hic tamen, pro ratione subiectorum et praedicatorum citra errorem habenda, illud est animadvertendum, quantumvis Lullio termini unius rotae vel illis affines atque similes subiecta nominentur, et alii condistinctae alicuius praedicata, non ob eam causam aliquid obest quominus mutuas vices praedicata subiectaque commutare possint interdum; haec enim omnia subiecta sunt, quatenus de ipsis aliquid dicitur, praedicata autem, quatenus de aliquo dicuntur eadem, sicut alia quaestio est, an quod est intensive infinitae potentiae sit Deus, et an Deus sit infinitae potentiae intensive.

## III. Membrum.

Porro licet haec ita se habeant in arte ista, ut tamen sit iuxta omnes rationes ordo quidam, subiectorum nomine tantummodo rerum substantias et species intelligimus, nomine autem praedicatorum, ea quae in ipsis et circa ipsa esse intelliguntur universa.

Horum autem alia sunt absoluta, sicut et subiecta ipsa absolutum quiddam sunt, ubi non per collationem et cointelligentiam quandam capiuntur; alia sunt respectiva seu relativa, quae semper intellectum alicuius alius connotant et implicant.

## IV. Membrum.

Istis hoc pacto se habentibus, ad simplicium terminorum sufficientiam capiendam praeordinavit elementaria quaedam Lullius, in quorum uno per elementa novem designantur universa simpliciter apprehensibilia subiecta, in duobus simplicia praedicata, in alio termini syncategorematici, qui adinventionis ordini atque materiae subministrant.

# CAP. IV. DE SIMPLICITER APPREHENSIBILIBUS SUBIECTIS.

## I. Membrum.

Hic subiectorum nomine intelligimus tum ea de quibus principaliter aliquid affirmatur vel negatur, vere dicitur vel false, tum etiam haec quae principaliter entitatem habent atque subsistentiam; in his enim universa, quae sunt substantia et per modum substantiae significantur, cum istis identificantur, ad ista reducuntur, inque istis comprehensa intelliguntur; universa quoque aut horum sunt species, aut differentiae, aut partes, aut principia, aut proprietates, aut adiacentia, aut primariae, aut secundariae intentiones.

Iam ergo subiecta novem sunt per novem elementa significata, in circulo qui inscribitur nota A.

Ubi B significat Deum, C angelum, D coelum, E hominem, < F imaginativum,> G sensitivum, H vegetativum, I elementativum, K instrumentativum.

?Deum? rursum capientibus subiectum ad foecunditatem et amplificationem, rota nobis ex novem divinis, utpote subiecto aequivalentibus, et inventionis materia mirum in modum complexe et incomplexe capta multiplicantibus, et diversos de eodem concipiendi modos suggerentibus, in hanc constituisse formam consuevit, ut B significet mentem, C intellectum, D amorem, E potestatem, F praesentiam, G scientiam, H providentiam, I iudicium, K iusticiam.

?Angelum? pro subiecto capientibus, rota suis elementis novem vulgatos ordines significans statuatur, ut B significet Seraphim, C Cherubim, D Thronos, E Potestates, F Virtutes, G Dominationes, H Principatus, I Archangelos, K Angelos.

?Coelum? si sit subiectum, in novem quas vulgi imaginatio sibi effingit sphaeras, B significante primum mobile, C stelliferum, D Saturni sphaeram, E Iovis, F Martis, G Solis, H Veneris, I Mercurii, K Lunae.

?Homo? si sit considerationis subiectum, ita in ordines atque gradus constituatur, ut B significet sacerdotem, C principem, D magistratum, E doctorem, F militem, G mercatorem, H mechanicum, I agricultorem, K servum. Idem si medicinae subiectum capiatur, iuxta novem vel ad novenarium redactas eius partes rotam constituat; aliter si theologo, aliter si alio cuicunque. Ad hanc enim artem combinatoriam, quae novenario est adcommodata vel cui novenarium adcommodatur, omnia subiecta sive praedicata si reducantur, ad unum de novem elementis reducantur oportet; in combinatione enim exercenda terminos unius generis alius generis termini numero exaequent oportet.

?Imaginativum? si pro subiecto capiatur, ita in rotam eiusdem potentiae disponantur, ut B significet habens reminiscentiam, C discursum seu collationem specierum habens, D certam natura inditam artem habens, E providentiam vel huic proportionale habens, F locorum selectum faciens, G tempestatum praecautionem habens, H coniugii appetentiam habens, I prolis educationem, K communis vitae tutelam.

?Sensitivum? ita distribuitur, ut B significet memoriam habens, C aestimationem habens, D phantasiam, E sensum communem, videntem, G auscultantem, H olfacientem, I gustantem, K tangentem.

?Vegetativum? si iuxta suas sit dispositum facultates, B significat prolificationem seu seminis emissionem et immissionem, C augmentum, D expulsivam facultatem, E digestivam, F attractivam, G appulsivam, quae extensione, dilatatione constrictioneque fit, H appetitivam, qua pro captu appulsus excitetur, I noscitivam, quae pro captu appulsum dictat, K vitam.

?Elementativum? habeat in rota B , quod significat in propriam sphaeram inclinativum habens, C generativum, D alterativum, E generabilitatem, F alterabilitatem, G componibilitatem, subiicibilitatem, I potentiam, K existentiam.

## II. Membrum.

?Instrumentativum? significat genus accidentium ultra substantiae genus extentum, quod quidem iis constat quae vel in illa sunt, vel circa illam esse intelliguntur. Ipsum iuxta plura coordinationum genera plures conficit rotas. Instrumentorum enim alia sunt in coordinatione operantis naturae, alia in coordinatione imitantis eam artificii alias habentis rursum coordinationes, dum vel metaphysice, vel mathematice, vel moraliter, vel logice, vel mechanice molitur. Iam igitur ultra octo substantiae vel (ut cautius loquar) subiectorum genera substantiam significantia, unum ponitur nonum et ultimum per elementum K significatum, quod universa denotare debet accidentia. An (inquies) non ex enumeratis plurima sunt accidentia? Immo (inquam) et omnia, si adiective capiantur. Modo, si recte consideras, omnia subiective, substantive materialiterve sumebantur, utpote prout subsistentem significant naturam, in qua aliquid esse potest, et de qua aliquid affirmari vel negari possibile est. Itaque taliter illa sunt substantiae, ut si

adiective sumantur, eadem speciem et naturam referant accidentium, sicut et haec omnia novem taliter sunt subiecta, ut eadem possint esse praedicata, ut divinitas, divinum, spiritualitas, angelicum, coeleste, humanum, et ita alia, si adiacenter et denominative capiantur. Non minus et ea quae praedicatorum loco accipientur substantive capta, citra controversiam subiectorum vices obtinebunt; subiectum quippe considerationis potest esse bonitas, cui accidit divina, angelica, coelestis, humana, mundana; itidem maioritas, principium, et caetera quibus etiam accidit divinum, angelicum, coeleste, et alia. Cur autem tam ample notiones accipienti ista sint tantummodo subiecta, illa vero tantummodo praedicata, si requiras, certe (inquam) artis huius generalitati, cui de omnibus posse dicere atque discurrere per omnia proprium est, et cui universa atque singula ad quaeque (ut de eisdem sive in recto sive in obliquo, sive, ut aiunt, quidditative et univoce, sive denominative dicuntur) referre licet, non convenit discretio subiecti et praedicati, neque eius cui aliquid et eius quod alicui accidit, quia ut munus eius est de omnibus, ita omnia dicibilia sunt illi subiecta et substans; nihil quoque est, quod non adcommodet praedicationi et accidentalitati. Verum enimvero ad artis manifestationem rationi consentaneum esse videtur, ut quaedam sub una, quaedam sub alia definiantur ratione; facile namque intelligentibus erit eadem haec qua illa capiebantur ratione vicissim accipere.

### III. Membrum.

?Instrumentativum? igitur cum universaliter genus accidentium significet in proposito apud Lullium, duplex est, physicum videlicet seu naturale, et ethicum seu morale. Physicum ergo instrumentativum conflatur in rotam, ubi B significat quantitatem, C qualitatem, D relationem, E actionem, F passionem, G habere, H situm esse, I quando, K ubi. Ethicum autem instrumentativum triplicem constituit rotarum ordinem, in quarum media significantur virtutes, in extremis vero significantur vitia, externa quidem quae per excessum, interna vero quae per defectum.

Hic optime insinuatur quemadmodum virtus unum agnoscit contrarium, vitio autem tum virtus tum et vitium alterum obsistit et contra armatur; et ideo inter iniquos vera non potest esse amicitia. Ad praedictae quoque figurae similitudinem altera, quae quamvis ad eandem (ut et eiusdem generis aliae) reduci possit, ad facilitatem tamen maiorem uberioremque inventionis copiam conflatur in eundem modum:

B Superbia. B Humilitas. B Contemptus sui. C Luxuria. C Castitas. C Frigiditas. D Gula. D Sobrietas. D Avarum ieiunium. E Mendacium. E Veritas. E Vaniloquium. F Obstinatio. F Constantia. F Inconstantia. G Curiositas. G Sollicitudo. G Acedia. H Invidia. H Complacentia. H Aemulatio. I Ira. I Longanimitas. I Insensatio. K Prodigalitas. K Liberalitas. K Avaritia.

## CAP. V. DE SIMPLICITER APPREHENSIBILIBUS PRAEDICATIS ABSOLUTIS.

### I. Membrum.

Consequens modo est de praedicatis aliquid afferre. Primum autem de praedicatis absolutis, iuxta primam Lullianam figuram, quae inscribitur A, et notatur per elementum, quod est primum in dictione ?absolutum?; secundo de respectivis praedicatis, ut postea per universa praedicata, per eorum definitiones ubique modificata, diversas et innumeras illorum formationes afferre possimus.

Praedicatorum ergo absolutorum praesens figura est, videlicet quae intrinseca tantum significatione consistunt, neque per id quod sunt ad aliud vel alterius esse dicuntur. Praesens igitur figura A novem terminis in circulum dispositis constat, ubi

B significat bonitatem et bonum.
C magnitudinem et magnum.
D durationem et durans.
E potestatem et potens.
F intellectum et intelligens.
G voluntatem et volens.
H virtutem et vigens.
I veritatem et verum.
K gloriam et gloriosum.
Cuius quidem figurae forma est circularis, propterea quod terminos continet in invicem convertibiles. Terminorum enim alii sunt in invicem convertibiles, utpote aeque universales, alii vero non.

Porro praesentes termini dupliciter considerari possunt; uno modo videlicet in prima causa, seu primo subiecto per B significato, et ita in ea termini omnes aeque sunt convertibiles; nunquam enim alterum alter in ea potest excedere. Tanto enim est bonus quanto sapiens, quanto aeternus, quanto quidquid vere esse dicitur. Immo haec omnia in Deo tum concretive tum abstractive significantia idem sunt, quemadmodum in infinito et sphaera tanta est latitudo, quanta longitudo et profunditas, immo idem est longum, latum et profundum; item quia extra infinitum nihil est et infra ipsum nihil, ideo tale longum est absoluta longitudo, tale latum absoluta latitudo, tale profundum absoluta profunditas. Deo igitur propria est figura praesens per eiusdem omnimodam reciprocationem, tum inquam eam ipsam, quae fit per denominationem unius termini per alium, ut cum dicitur sapientia bona, bonitas sapiens, vel complexe sapientia est bona, bonitas est sapiens, vel duobus terminis concretive sumptis, vel altero concretive, altero abstractive, vel ambobus abstractive.

### II. Membrum.

In caeteris autem subiectis non ita prorsus vicissim combinatio terminorum atque complexio verificatur, siquidem eis secundum magis et minus, utpote secundum numerum et mensuram, omnia tum naturalia, tum naturalibus adiuncta

elargiuntur iuxta scalae naturalis proportionis gradus. Ibi ad subiectum B magis accedit C quam D, D magis quam E, E magis quam F, et ita deinceps. Subinde manifestum est, quod subiecia quaedam (sicut in E est manifestum) sunt magis sapientia quam gloriosa, quaedam sunt magis felicia quam scientia. Et ideo quibusdam videtur, hanc figuram ita reciproce effinctam primo tantum subiecto esse accommodatam, cui aeque secundum omnes rationes attribuuntur omnia.

Porro quamvis verum sit, quod dicunt iuxta appositam figurae proprietatem, non tamen eiusdem appropriationem considerant, neque non praeterit eos, figuram istam sicut et artem intelligi debere generalissimam.

### III. Membrum.

Eandem igitur figuram aliis omnibus intelligimus appropriabilem; secundum enim singulorum modos atque gradus non solum bonis sed et malis, non perfectis modo sed et imperfectis accommodabilis est, quandoquidem eadem oppositorum omnium, quorum eandem scimus esse opinionem sive scientiam sive sensum, est manifestatio. De quibus igitur non dicitur bonitas, dicitur malitia seu non bonitas. Ex eodem ergo loco notitia, inventio et iudicium contrariorum, privativorum contradictoriorumque indicatur. In omnibus ergo de iis inquirito aut affirmative, aut negative, aut simpliciter, aut in genere, aut in summo, aut in certo gradu, utpote iuxta modum propriae definitionis. Quod autem obiiciunt de terminis undique convertibilibus, et quod illa aequalis undique reciprocatio manifestat per illam linearum omnium ad omnia et singulorum ad singula protensionem, id considerando diluitur, quod protensio et reciprocatio illa in omnibus suo modo exercetur. Adnectuntur enim omnia omnibus vel affirmative vel negative, et hoc vel denominative vel primitive, et hoc vel in recto vel in obliquo, ut bonus homo, bona humanitas, bonitas humana, bonitas hominis, iustitia bona, magna, aeterna, malitia impotens, defectuosa; de caeteris quoque suo iudicandum est modo, unde artifices a praecipuis operationibus artis huius non impediantur.

## CAP. VI. DE SCALA HUIUS FIGURAE.

### I. Membrum.

Licet huius figurae scalam Lullius non explicet, implicite tamen eam non excludit; ipsam ergo nos in similitudinem scalae in secunda figura constituendae disponamus. Est igitur ipsa via quaedam et ordo, quo quidem a superioribus ad inferiora descendimus, et ad superna conscendimus ab infernis; in ea duo, altitudinem scilicet atque latitudinem, considerare licet.

Longitudo quidem scalae est, qua fit progressio a generalissimis per subalterna usque ad specialissima atque particularia, quatenus cum de aliquo dicere aut considerare volumus, ab ipsa specie vel individuo ad eius proxima immediataque universalia, et per haec usque ad prima possumus ascendendo multitudinem colligere in unum. Definitur autem generalissimum, quod cum sit genus, non potest esse species, cui non supervenit universale univocum, et quod in categorica coordinatione ea tantum respicit, quorum est contentivum, inferiora, de quibus omnibus univoce dicitur, cum de ipso nihil univoce dici possit, sed aequivoce vel analogice vel denominative. Specialissima species definitur, quae non potest genus esse; infra ipsam enim non sunt species sed individua, et unam habet habi udinem, quae est ad superiora, quorum respectu subiecta est species. Subalterna vero genera subalternaeque species sunt, quae in medio consistentia utrorumque suscipientia rationem et duos admittentia respectus, de inferioribus quidem praedicantur speciebus et individuis, et eadem superioribus vel superiori generi tamquam species subiiciuntur.

In quibus ita coordinatis duplex possibilis inspicitur praedicatio atque congrua, altera qua superiora omnia non vicissim de omnibus enunciantur inferioribus, altera qua aequalia de coaequalibus vicissim. Iuxta primum modum specialissima de individuis dicuntur tantum, subalterna de specialissimis et individuis, superiora de inferioribus subalternatis et collocatis, suprema de omnibus. Iuxta secundum vicissim dicitur de definitione definitum, exacta descriptio et proprium de descripto et subiecta specie et eiusdem constitutiva differentia; differentia et proprium de specie; descriptio, differentia et proprium, et horum plura vel unum, de pluribus vel uno reliquorum vel omnibus.

### II. Membrum.

Quibus ita se habentibus in proposito dicimus praedicationem seu verificationem per modum scalae exerceri, quatenus ab istis praedicatis tamquam generalissimis resolvendo ipsa descensus ad specialissima per subalterna efficitur, et per eadem a particularioribus ad illa componendo fit ascensus. Ita descendentes dicimus iustitiam esse bonitatem, commutativam distributionem, et commutativam distributionem esse iustitiam; reddere homini debitum esse commutativam distributionem; simile alteri facere, quod ab illo receperis, esse reddere homini debitum; dimittere decem talenta, cum totidem tibi dimissa fuerint vel similiter habueris, est vere ita aliis facere sicut et tibi factum; iniuste igitur servus ille nequam egisse convincitur. Ita e converso ascendentes eisdem assumptis terminis idem concluserimus. Est et congruam praedicationem exercere, qua aequalia de coaequalibus dicimus, ut ubi de invicem dicuntur hic enumerata vel eiusce generis alia generalissima, vel ipsis opposita de oppositis, vel de diversis diversa, ut cum dicimus iustitia est bonitas, veritas est iustitia, iustitia est veritas, bonitas est iustitia, et ubi definitiones de definitis dicuntur, ut bonitas est qua potentia, sapientia et magnitudo agit bonum, magnitudo est qua bonitas, sapientia, et caetera agunt magna, sunt possuntque magna seu magnificare vel sunt magnificata, iustitia non est ignorantia, iniquitas non est iustitia, ignorantia non est sapientia. Scalae igitur ascensui descensuique applicantibus accidit discurrere a propositis universalibus ad particularia et ab istis ad illa, et in istis illisque consistendo, ad rationes, ad correlativa, ad contraria, ad condistincta, et aliis quibuscunque modis apposita, adiacentia, coniugata.

## III. Membrum.

Latitudinem autem scalae pluribus licet inspicere modis: primo extensione significationis terminorum (de qua infra dicetur), quatenus videlicet bonitas non solum se extendat ad significandum physice sed et ethice (simile iudicium est de magnitudine et aliis); secundo per duplicationem eorum per concretum et abstractum, dicendo bonitatem et bonum, magnitudinem et magnum; tertio per distinctionem ?ivi, abilis et are?, dicendo bonificativum, bonificabile, bonificare, ubi ?ivum? significat principium activum, ?abile? principium passivum, ?are? principium copulativum, seu ?ivum? principium effectivum seu communicativum, ?abile? principium receptivum seu participativum, et ?are? principium connexivum sive actuale; quarto per distinctionem affirmativi et negativi, positivi et privativi, quatenus haec de aliis dicuntur secundum affirmationem, de aliis secundum negationem, de aliis positive, de aliis privative; quinto per distinctionem impliciti et expliciti, quia in terminis istis non solum continetur eorum ratio, sed et omnium quae dici possunt et imaginari absolutorum praedicatorum, ut in tractatu de multiplicatione terminorum patefiet; sexto per distinctionem proprii et appropriati, quatenus haec quibusdam naturaliter conveniunt, aliis per se et a se, aliis adventitie et per aliud, aliis inquam ex naturae substantia, aliis ex infusione, aliis ex acquisitione.

# CAP. VII. DE PRAEDICATIS RESPECTIVIS.

## I. Membrum.

De genere praedicatorum supra diximus esse quaedam, quae hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, respectiva, relativa, habitudinalia, ad aliud, quae (ut et praedicta) omnibus quae sunt et esse possunt, adcommodantur, unde et ipsa universalissima principia in arte ista habentur, suntque novem per elementa totidem significata. In angularem figuram disponuntur, qua eorum per omnia penetrativitas significetur. Per triangulos disponuntur, quatenus (inquit ita Lull.) in omnibus relationibus et habitudinibus sunt duo relata, et inter ea medians relatio. Tres sunt implicati trianguli, ut non solum eorum in alia, sed et mutua in invicem penetrativitas inspiciatur. Dicimus enim bonitatem differentem et bonitatis differentiam, item et differentiam principium et principii, item principium differentis et differentiae.

## II. Membrum.

DE SECUNDA FIGURA, ET PRIMO DE EIUS PRIMO TRIANGULO.

Extat figura, quae elemento T inscribitur, quia triplici triangulo complicato conficitur. Ipsa producit novem angulos, ubi novem elementa non per totius complexi, sed per singulorum triangulorum seriem sunt ordinata. Figuram vide infra.

Ibi primus triangulus est B C D, quibus significatur differentia, concordantia, contrarietas. Qui quidem anguli intelliguntur omnia penetrare, quia (ut in corporibus est manifestum) quod minoribus et consequenter verioribus constat angulis, ipsum est penetrativius; penetrativissimum certe, quod ex minimis.

## II. Membrum

DE PENETRATIONE PRIMI ANGULI B.

Penetrant igitur tum omnia principia absoluta, sive explicita sive in eis implicita intelligantur, tum etiam et invicem respectiva; unde ratione prima dicuntur primam penetrare figuram, quae sane divisa est in elementa, quorum alia significant substantiam et sunt substantialia, puta omnia praeter K; alia significant accidens et sunt accidentalia, ut quae sunt per ipsum K designata; alia item sunt intelligibilia, ut B C; alia sensibilia, ut D E F G H I; alia rationis entia vel iis affinia K. Anguli praedicti iuxta istas et alias rationes omnia subiecta penetrant, quia angulus B penetrat intellectualia, ubi differentia inter intellectuale et intellectuale inspicitur, ut in B ipso inter Deum verbum, inter Deum mentem, inter Deum amorem; in C inter Cherubim et Seraphim; in B C, ut inter Deum et angelum, inter bonitatem et magnitudinem, et ita de caeteris. Est differentia inter sensuale et sensuale, cum angulus B penetrat circa sensualia, considerando differentiam in D inter Saturnum et Iovem, in E inter virum et mulierem, in F inter canem et elephantem, et ita de aliis. Est differentia inter sensuale et intellectuale, ut in B D inter Deum et coelum, C E inter angelum et hominem, E K inter hominem et iustitiam.

## II. Membrum.

Angulus item C omnia principia penetrat, et per omnia subiecta discurrit. Est enim concordantia inter intellectuale <et> intellectuale, ut in B inter mentem, intellectum et voluntatem, quae in una essentia radicata concurrunt, in C inter Cherubim et Seraphim, qui in simplicitate naturae concordant, ut in cognitione, intellectualitate et id genus aliis, in D inter hoc et illud coelum, hoc et illud astrum. Ita in aliis est iudicandum. Insuper in B C inter intellectuale, quod est Deus, et intellectuale, quod est angelus, concordant enim in bonitate, sapientia, entitate, licet non sit adaequatio ulla neque comparatio; in C D inter angelum et coelum, quae concordant in bonitate, veritate, virtute etc. Idem esto in caeteris iudicium: inter sensuale et sensuale, ut inter D et E, id est coelum et hominem, F G imaginativum et sensitivum, G H sensitivum et vegetativum, H I vegetativum et elementativum. Vel in G, ut inter hoc sensitivum et illud, in H inter hoc vegetativum et illud, in I inter hoc elementativum et illud, in K inter hoc et illud instrumentativum.

## III. Membrum.

DE PENETRATIONE ANGULI D.

Similiter angulus D omnia principia penetrat, et per omnia subiecta discurrit. Sicut enim differentia et concordantia sunt inter sensuale et sensuale, intellectuale et intellectuale, sensuale et intellectuale, in hoc et in illo sensuali, in hoc et in illo intellectuali, ita et contrarietas. In subiecto B contrarietas est inter summum bonum et summum malum, ipsum ens et ipsum nihil; in C inter calodaemonem et cacodaemonem; ita in aliis quorum quaedam per se contrarium recipiunt, ut est manifestum.

## IV. Membrum.

DE HORUM ANGULORUM IN INVICEM PENETRATIONE.

Sicut autem praesentes anguli aliam penetrant figuram, tum per subiecta tum per praedicata discurrentes, ita quoque invicem se penetrant, dum istius trianguli anguli per alios triangulos et angulos discurrunt. Dum videlicet B penetrat in angulum E, qui est primus secundi trianguli, dicendo et considerando differentiam inter principium et principium, item angulos E F considerando differentiam inter principium et medium, angulos item omnes E F G, penetrat etiam primum angulum tertii trianguli, dicendo in H differentiam inter maioritatem et maioritatem, in H I differentiam inter maioritatem et aequalitatem, in H I K inter maioritatem, aequalitatem et minoritatem. Penetrat tandem tertii trianguli angulos eodem pacto, intuendo differentiam inter maiorem aequalitatem, minorem aequalitatem etc., nunc quidem sigillatim singulos, nunc vero communiter duos, nunc universaliter omnes. Simile iudicium est de penetratione angulorum C et D per alios angulos et triangulos.

## V. Membrum.

DE SECUNDO TRIANGULO SECUNDAE FIGURAE.

Secundus triangulus secundae figurae est E F G, ubi E significat principium, F medium, G finem; qui anguli eadem qua superiores forma omnia penetrant. Cuncta enim aut sunt principium, aut medium, aut finis; aut per principium, per medium, per finem; aut in, ex principio, medio, fine; aut principii, medii, finis.

Hic triangulus et ius anguli omnia penetrant, quae sane penetratio aut est per rectum aut per obliquum casum, ut in proposita divisione diximus, et cuilibet etiam permodicum ingenioso ad dictorum similitudinem facile est coniicere.

## VI. Membrum.

DE TERTIO TRIANGULO.

Tertius triangulus est H I K, ubi H significat maioritatem, I aequalitatem, K minoritatem. Qui certe anguli et triangulus non minus caeteris omnibus intelliguntur esso penetrativi; cuncta enim aut sunt maioritas, aut minoritas, aut aequalitas, aut in, cum, ex his, vel horum quodam.

Penetrant, inquam, omnia subiecta, omnia praedicata, et omnes praedicatorum subiectorumque circumstantias, aut per rectum aut per obliquum, aut adiective aut substantive, sicut et caetera.

# CAP. VII. DE COMPLICATAE FIGURAE ANGULORUM SIGNIFICATIONE.

## I. Membrum.

Ratione igitur in superioribus explicata tres designati trianguli complicantur.

Ibi super angulum ?differentia?, et super angulum ?concordantia?, et super angulum ?contrarietas?, utpote super B C D angulos, est titulus inter sensuale et sensuale, intellectuale et intellectuale, sensuale et intellectuale, ut significentur obiecta dictorum angulorum atque subiecta. Haec etenim de omnibus vel recte vel oblique, vel affirmative <vel> negative dicuntur et inquiruntur.

## II. Membrum.

Ibi super angulum E principium est titulus causa, quantitas, tempus, ad denotandum quod secundum amplam extentamque significationem, qua et causarum genera quatuor complectitur, terminus ille accipitur: et videlicet pro causa efficiente, a qua vel dirigente vel ordinante vel administrante fit aliquid; et pro formali, secundum quam, ad cuius similitudinem, imitationem, formam, modum sive essendi sive praesentandi fit; et pro materiali, ex qua, de qua et in qua aliquid conflatur vel componitur vel in aliud transmutatur; et pro finali, propter quam fit et ad quam ordinatur aliquid.

Declarat Lullius in libro ?De auditu cabalistico?, se per terminum illum ?causa? intelligere genus substantiae, et per terminos illos ?quantitas et tempus? intelligere genera accidentium, et universa contra substantiam distincta praedicata. Neque obest quod substantia intelligatur implicata in iis quae significantur per octo elementa figurae S, et novem accidentis genera in eiusdem figurae nono elemento K. Ipsa enim accidentia, dupliciter considerata, ad duas (iuxta duos respectus et officia) pertinent figuras. Substantive inquam sumpta in genere subiectorum intelliguntur (sic

etenim instrumenta sunt, quibus aliquid contingit operari), adiective autem capta (etiam cum ipsa substantia) praesentem necessario figuram subintrabunt. Substantive intelligo sumi aliquid, quando ipsum per alia denominabile est atque considerabile; adiective autem, quando per ipsum alia.

### III. Membrum.

Ibi super angulum F medium est titulus coniunctionis, mensurationis et extremitatum, ad significandum quibus medium dicitur tres esse modos. Est enim primo medium coniunctionis, sicut intercessor, interpellator, copulator, leno et similia; copula item quae facit subiecto convenire praedicatum, sicut anima est medium per quod probatur animal esse vivens, sicut et verbum substantivum quod dicitur eorum quae de altero praedicantur nota. Est secundo medium mensurationis, sicut est illud quod praecise proprieque medium aequaliter distat ab extremis, ut centrum est medium circuli. Adde quodlibet inter extrema positum, quod cum neutrum sit illorum, communiter medium appellatur, ut omnes singulique gradus inter primum et ultimum Arietis. Est tertio medium extremitatum, in quod quomodolibet aliter seposita concurrunt; unde actio medium esse intelligitur inter agentem atque patientem, ut inter bonificabile et bonificatum est bonificare, amare seu amor inter amantem et amatum; unde amans, amabile et amare sunt una amabilitas indivisa d. Lull.

### IV. Membrum.

Ibi super angulum G finis est titulus perfectionis, terminationis et privationis, ad et huius termini amplitudinem significandum.

Est enim primo finis perfectionis seu causalitatis, ad quem omnia diriguntur, tendunt et conquiescunt; sic homo est finis plurimorum, Deus est finis omnium. Est secundo finis terminationis, sicut Alpes sunt finis Galliae in Italiam, et Pyrenes in Hispaniam. Est tertio finis privationis, ut mors, defectus, extinctio.

### V. Membrum.

Ibi super angulos H I K, id est maioritatem, aequalitatem, minoritatem, est titulus inter substantiam et substantiam, inter accidens et accidens, inter substantiam et accidens, ad significandum triangulum et angulorum singulos omnia penetrare; est enim maior substantia coeli quam aquae substantia quodammodo, est maius quodammodo accidens intelligere quam credere, est maior ratio entis in substantia quae existit, quam in accidente quod inhaeret. Est item aequalitas inter substantiam, quae est individuum unius speciei, et alterum individuum eiusdem vel alius speciei; inter accidens, quod est una experientia vel scientia, et accidens, quod est alia experientia vel scientia; et potentiam visus ad videndum, et auditus ad audiendum; inter substantiam et accidens substantive sumptum, sicut inter hominem et risibile, equum et hinnibile.

Est tandem minoritas inter substantiam et substantiam, substantiam et accidens, quia (ut visum est) est et maioritas; unum quippe correlativorum est iudicium.

## CAP. VIII. DE SCALA PRAESENTIS FIGURAE.

### I. Membrum.

Secundae figurae scala etiam propria altitudine latitudineque constat. Est ergo longitudo scalae materia seu subiectum, in quo discurrit intellectus, a supremis et universalissimis per intermedia ad infima descendens, vel ab infimis per eadem conscendens ad suprema, ut cum a differentia, quae super omnes differentiarum species est universalissimum principium, ante quam et supra quam nulla est differentia (ipsa enim per aliud non differt, et per ipsam differentia differunt universa), descendimus per proximas immediatasque partes, species modosque ad infimam atque remotissimam, et cum a concordantia, quae est universalissimum principium (per quod et quo omnia concordantia concordant, et quod non concordat per aliud, quod se ipso cum aliis in ratione principii concordat), ad remotissima et maxime particularia per proxima mediaque converso descendimus ordine. Simile de aliis praesentis figurae angulis in proposito penetrativi ascensus atque descensus est iudicium. Sic ab ista signata differentia, quae est inter Socratem et Achillem, procedimus ad differentiam inter hunc philosophum et hunc militem, inde ad differentiam militiae et literaturae, inde ad universaliorem, quae est inter institutum ordinatum ad culturam animi, et ordinatum vel ad necem corporum vel ad honores externos; itaque deinceps pro captu rei propriique ingenii usque ad generalissimum, quod est differentia, ultra quod non est possibile progredi. Idem de descensu vice versa iudicium est.

Verificatur etiam descensus huiusmodi in terminis titulorum qui sunt in angulis, quia a differentia quae est inter sensibile et intelligibile, procedimus ad differentiam quae est inter angelum et hominem, inde ad eam quae est inter Cherubim et philosophum, inde ad hanc quae est inter Lullium et unum ex iis; sic a differentia quae est inter sensibile et sensibile, ad eam quae est inter plantam et animal, eam quae est inter piscem et herbam, eam quae inter delphinum et vitim, ad hanc quae inter hunc del hinum et hanc vitim. Idem de aliorum titulorum ascensu descensuque iudicium.

### II. Membrum.

Latitudo quoque praesentis scalae ad praecedentis figurae similitudinem capitur; etenim praesentes termini non arcte, sed iuxta amplissimam capiuntur significationem. Non enim differentiae nomine intelligimus ipsum quo propriissime

aliquid ab aliquo differre dicitur, utpote quod genus dividens specierum est essentialiter constitutivum; sed est omnis quae proprie, omnis quae communiter dicitur. Huc accedit alietas, diversitas, disparitas et quidquid ad copiam considerationis et inventionis sub ista dictione spectari potest. Simile de concordantia iudicium, quae omnem convenientiam, consistentiam, unionem, identitatem, concursum, compatentiam complectitur. Ipsam, licet universalissima sit, minus tamen universalem appellat Lullius, quam sit differentia; omne enim quod concordat, aliquo modo differt (siquidem idem sibi ipsi concordare non dicitur); concordantiam igitur includit differentia. Sed tamen omnem differentiam dicere possumus a concordantia includi; nihil enim differt quod aliqua non concordet ratione, vel per entitatem, vel per esse, vel per considerari, vel per imaginari, vel per dici. Optime quoque dicit comparans contrarietatem differentiae; contrarietatem enim in omnibus invenire non possumus, nisi forte nomine contrarietatis extento ad supponendum pro omni oppositionis genere, ut repugnantium, relativorum, privativorum, contradictoriorum, e regione appositorum. Sed hic intellige comparationem esse factam seorsum ab arte, quatenus scilicet proprius significantes termini capiantur. Alioqui ab ipso Lullio quaereremus de enumeratis oppositionis speciebus, ad quod principium reduci velit eas aliud, cum non commode ad duos alios triangulos possint pertinere. In hoc autem qui relinquitur, nemo nisi delirus ad angulum differentiae vel corcordantiae referet.

### III. Membrum.

In secundo quoque triangulo latitudo scalae manifesta est, ubi principium non solum significet quod proprie contra terminum a quo causa distingui solet et elementum, sed et omnia quae sub huius dictionis usu significantur. Id manifestat titulus anguli: causa, quantitas et tempus; latitudo item medii, quam inducit titulus coniunctionis, mensurationis et extremitatum; latitudo quoque finis, quae finem causalitatis seu perfectionis, finem terminationis, finem privationis d.

### IV. Membrum.

In tertio similiter triangulo, ubi maioritas est inter eam quae est in substantia, qualitate, magnitudine, eam quae inter substantiam et substantiam, qualitatem et qualitatem, magnitudinem et magnitudinem, similiter et in multitudine, virtute, potentia, facultate, loco, situ, tempore, aeternitate, et caeteris, quae omnia nomine accidentis et substantiae ab Archyta, Aristotele et Lullio significantur. Non aliud est de latitudine gradus scalae tertii anguli iudicium; perpetuo enim minoritas cum maioritate (cuius est correlativa) comprehenditur. Latitudo quoque anguli aequalitatis in propriae scalae angulis patet, quia non capitur iuxta arctam, qua sumitur in secunda categoria, significationem ab Aristotele dicente ?maxime proprium esse quantitatis per aequale et inaequale dici?; sed usurpatur secundum omnem modum, quo aliquid cum aliquo pariter dicitur atque se habere intelligitur vel absolute vel respective sumptum. Unde aequalem dicit Lullius visum intellectui, quia aeque se habet ille ad sensibilia, ut iste ad intelligibilia. Harum scalarum latitudinem, ubi ?de terminorum multiplicatione? considerabimus, specialius forte distinguemus.

## CAP. IX. DE SIMPLICITER APPREHENSIBILIBUS SYNCATEGOREMATICIS.

### I. Membrum.

Peracta categorematicorum consideratione, ad terminos syncategorematicos consequenter transeamus. Sunt autem decem quaestionum signa, ad quae omnia reliqua reduci posse Lullius intelligit. Quam sane reductionem, quantumvis incomptam, ut tamen nihilo minus venerabilem amplectimur. Hic minime ad terminorum est proprietatem respiciendum, sed tantum ad eum quem notant ordinem, texturam, architecturam; unde pro dispositione ex hac theoria alii quidem melius, alii vero minus bene ad inventionis iudiciique actus valeant incedere. Hic enim non fabricatorem, qui manum lignis, lateribus et cemento admovet, sed architectorem facimus, cui quodam inculto indice et rudi quadam designatura sufficit ei, qui pulchram optimamque domum aedificare intendit, lineis et numeris, quot rei propositae necessitas exquirit, modulum insinuasse.

Mitto quod sicut hae decem quaestiones ad combinatoriae artis commodum necessario ad novenarium numerum sub novem elementis contrahuntur, ita et alias multas, quas posses invenire, ad eos (ut melius tibi fieri posse videtur) qui expressi sunt modos reducantur, quantumvis ex rigore propriae significationis minime reduci valeant. Illud enim hic considerare oportet, quod artis huius termini non physice, non logice, non metaphorice, sed amplius (ut amplissima est huiuscemodi ars) ad significandum extenduntur. Decem igitur quaestiones per decem terminos sub novem elementis proponantur, quas ordinate in sequenti figurae licet inspicere ordine:

B utrum
C quid
D de quo
E quare
F quantum
G quale
H quando
I ubi
K quomodo, cum quo

Quae non ideo dicuntur ?quaestiones?, quia taliter in praxim artificii reducantur, sed quoniam per modum quaestionis primo significare videntur, quod optime Lullius etiam ipse manifestat, dum easdem et ?regulas? appellare consuevit; quandoquidem ex instituto principali potius ad regulandum et definiendum quam ad inquirendum sunt finaliter ordinatae, ut per ipsas disponamur et ordinemur in discursu, resolutione et explicatione conceptionum.

## II. Membrum.

Quae sane regolae seu quaestiones non sunt utcumque appositae, sed rationaliter ordinatae. Harum enim aliae ad intrinsecam rei spectant rationem, aliae ad extrinsecam, aliae ad intrinsecam quodammodo et quodammodo ad extrisecam. Primarum aliae dicunt prorsus absolutum esse, ut ?utrum?, ?quid?; aliae aliquem denotant respectum, ut ?de quo? et ?quare?; aliae plus ad extrinseca respiciunt, ut ?quantum? et ?quale?. Secundarum (utpote quae respiciunt non quod est in, sed quod est circa subiectum) aliae respiciunt tempus seu durationem, ut ?quando?; aliae locum sive situm, ut ?ubi?. Tertiarum quaedam est inquirens medium rei sive in se et circa se, sive in alio et circa aliud, ut ?quomodo?; alia vero concomitans illius, sive adiectum, sive proximum, sive correlatum, intrinsece vel extrinsece perscrutatur, ut regula ?cum quo?.

## III. Membrum.

DE PRIMA REGULA ?UTRUM? B.

Ideo ?an? sive ?utrum? aliis praeponitur quaestionibus, quia omnis alia quaestio de re quapiam ipsam vel in causa vel in se vel in conceptu esse supponat oportet; tamquam ens enim accipimus de quo ?quid, quale, quare? inquirimus, licet in quibusdam ante quaestionis ?utrum? decisionem quid per nomen significetur intelligere oportet; postquam enim respondens audierit ab interrogante, quid Chimaerae nomine significetur, habet quomodo ad quaestionem ?an illa sit? respondere debeat. Porro id quod per nomina significetur, ante quamlibet disciplinam et inquisitionem praehaberi oportet; et ideo ?quid nominis? non intelligit Lullius esse quaestionem.

Quaestionis huius tres Lullius species adducit: affirmationem, negationem, dubium. Eorum enim, de quorum esse quaeritur, alia sunt necessario, et pro istis determinate est affirmatio; alia impossibiliter, et horum definita est negatio; alia in utramque contingentia partem, et haec in controversam ducuntur assertionem. Certum est enim futuram eclipsim luna existente in capite vel cauda draconis, certum quoque quod de eodem secundum quod idem contradictoria non verificentur. Dubium est an sit futurum bellum, an legum innovatio subsequatur, an philosophus ditescat, et quodlibet vel in libera consultatione positum, et quod casus fortunaeque militat incertitudine, et quaecunque de particularibus in natura possunt impediri, eque excessu defectuque et alteratione fluctuantis materiae cursum destituere definitum.

## IV. Membrum.

DE SECUNDA REGULA ?QUID? C.

?Quid ? est quo rei determinari quaerimus essentiam, et in quo aliquid genere consistat ambigitur. Quod si sit generalissimum, et consequenter neque genus admittat neque differentiam, per hoc tamen nihilominus quaerere licet de eiusdem propria, qua ab aliis generibus distinguatur, ratione; illa etenim quamvis non per superiora genera definiantur, nihil impedit quominus, per ea quae circumcirca et veluti a latere sunt apposita, certis veluti sepimentis intra proprios fines coercita intelligantur. Quae igitur non per superiora neque per inferiora, per aequalia probe poterunt definiri; vel inquam per eorum quibus ab aliis universalibus dissepiuntur proprietates, vel non inepto quo Lullius facit modo, dicens: bonitatem esse qua magnitudo, duratio, potestas et quaecunque sunt, bona sunt, seu qua aliquid est bonificativum, bonificabile et bonificans, et est bonum; et ab hoc definiendi modo non abhorruit Aristoteles et Archytas d. ?qualitas est secundum quam quales esse dicimur.? Similiter intelligitur quantitatem, actionem, se habere et caetera id genus alia. Quae igitur in communi sunt principiandi, regulandi vel subessendi ratione, secundum certam principiandi formam differant oportet, utpote per benefacere quod est a bonitate, et magnificare quod est a magnitudine; quod plane ita est illis proprium et definitio, ut nihil proprius, nihil peculiarius.

Eius quattuor afferuntur species quaestionis: 1. ?quid est in se?, 2.?quid habet in se?, <3.> ?quid est in alio?, <4.> ?quid habet in alio?.

?Quid est in se? quaerit essentiam et esse, seu quidquid per essentialem definitionem denotatur, quatenus species absolute simpliciter, et ratione qua ipsa est hoc ens in recto, non inquam ut huius entis, huic enti, de hoc ente, et omni alia qua ad aliud respicere videatur ratione, praeterquam si tale proferatur, quale hoc ipsum quod est quomodolibet ad aliud esse intelligatur.

?Quid habet in se? est secunda regulae C species; consequenter enim ad ipsum, quod noscimus quod est res in se, succedit quid in se habeat considerare, utpote ex quibus intrinsece habitibus coessentialibusque consistat, quae ad esse conflandum, integrandum et in omni perfectione constituendum concurrunt.

?Quid est in alio? tertia est ordinate species succedens; res enim ubi per intrinseca atque propria considerata fuerit, per aliena, extrinseca et relata contemplari desiderat, nempe quid sit et habeat in alio. Et hoc dupliciter: et per id quod potest, agit et causat in eo, et per id quod ab eodem potest pati atque recipere, recipit atque patitur; idque triplicem inspiciendo regionem: superiorem maiorum, meliorum, aequalem parium similiumque, inferiorem minorum et deteriorum. Simile iuxta alios triangulos ad distinctionum ordines esto iudicium.

?Quid habet in alio? sequitur proxime dictam quaestionem, sicut esse praecedit habere et habitus essentiam. Hoc habere in alio examinatur penes consequentia contingentiaque ei de quo est quaestio; ita in alio agente, patiente, consistente, concomitante, maiori, minori, aequali et aliusmodi iuxta proxime designatas rationes.

Exemplum huius regulae C ?quid est homo in se?? substantia animata rationalis; ?quid babet in se?? humanitatem, intellectum, voluntatem, sensum etc.; ?quid est in alio?? in Italia Italus, in sapientia sapiens, in loco locatum, in fine gloriosum; ?quid habet in alio?? in demonstrabilibus scientiam et rationem, in sensibilibus sensum et phantasiam, in possessis dominium, in Deo spem etc. Simile de aliis iudicium, discurrendo per differentia, contraria, contradictoria, similia, dissimilia, priora, posteriora etc.

## V. Membrum.

DE TERTIA REGULA ?DE QUO? D.

Questio ?de quo? sequitur ipsam quae est ?quod est in alio?, sicut respectus extrinsecus intrinsecum, quod magis est absolutum semotumque ab eo de quo est, quam ab eo quod est. Habet species tres, quarum prima est de quo est primitive, principiative seu derivative secundum esse; secunda de quo constitutive, consubstantialiter, consistenter; tertia de quo est possessive, quod aequivalet quaestioni ?cuius est?, quam liceret apponere pro alia regula ad dictionis proprietatem respicienti. Sed propter similitudinem quam habet haec quaestio in idiomate hispanico et italico, quibus quaerentibus possessive uti accidit illa particula ?de quien es? de chi e?? Quod si cui videtur ardua haec reductio, sciat Lullio nobisque secum non esse colloquium. Exemplum primi modi regulae D: ?de quo est homo originaliter seu initiative?? Vel dicitur de coelo et de sole et de patre, vel de praeiacente materia, vel de nullo intrinsece; totus enim de alio esse minime potest. Secundo ?de quo est homo constitutive?? De anima et corpore, de elementis et potentiis intellectivis et sensitivis, seu de sua materia et de sua forma. Quae regula sequitur esse initiativum, sicut esse de principiis materialibus seu partibus sequitur esse agentis, initiantis, principiantis. Tertio ?de quo est homo possessive?? seu ?cuius est?? Dicitur metaphysice esse Dei, providentiae, fati vel (ut quorundam more loquare) fortunae; physice esse mundi a quo circumscribitur, substinetur, influxum recipit, et cuius est incola; ethice est suae concupiscentiae, voluntatis affectusque eius a quo tenetur, cui et mancipatur; civiliter dominationis, servitii, religionis, regulae, instituti. Responderi tandem iuxta innumeras istorum species facile potest, tum per hanc ipsam, tum et per alias discurrendo regulas, quibus ad omnem inventionem manuducaris atque copiam.

## VI. Membrum.

DE QUARTA REGULA ?QUARE? E.

?Quare? ordinate subsequitur praedictas omnes atque singulas; post ipsas enim quaeremus ?quare est? quare est hoc? quare est de hoc? quare est huius?? Imo et quare supponit rem esse, rem esse hoc esse de hoc, esse huius esse illius, et caetera. Post combinatas itidem quaerit ?quare est hoc quod esse dicitur, et esse hoc de illo vel illius?? Duas admittit species; est enim Lullio duplex quare: formale videlicet et finale. Ad quaestionem enim istam respondemus tum per principia formalia rei constitutiva, vel per suum ?ivum, abile et are?, vel per primas duas regulae C species, vel per ?are? primae speciei regulae D, et secundam eiusdem regulae speciem; tum per id ad quod ipsum de quo est quaestio videtur esse ordinatum.

Exemplum primae speciei, si quaeratur ?quare est homo?? dicitur quia est sua essentia, vel sui esse constitutivum, vel per suum ?ivum, abile et are?, utpote quia est homificativum, id est causa eius effectiva etc. Resp. per primam speciem regulae C, per id quod est in se et habet in se intrinsece constitutivum et coessentialia, quae ad secundam eiusdem regulae speciem referuntur; per tertiam item quartamque regulam C, unde responsio erit ab effectu potius quam causa: ?quare est homo?, id est ?quod signum habes de esse hominis?? quia est in alio, quia habet in alio hoc; per ?are? primae speciei regulae D dicendo ?per causare suae causae, initiare sui initii?; et per secundam eiusdem regulae speciem, dicendo ?quia est sua anima, suum corpus, sua materia, forma? etc. Exemplum secundae speciei, ut si quaeratur ?quare est homo?? respondetur metaphysice ?propter ultimum omnium finem?, physice ?ut sit perfectissima animalium species, utpote in horizonte intellectualium et sensitivorum rationale?, ethice ?ut sibi aliisque et primo reip. per iustitiam commutativam distributivamque vivat?, ?ut suum intellectum et voluntatem ad verum atque bonum dirigat et ordinet.? Ita suo modo de caeteris.

## VII. Membrum.

DE QUINTA REGULA ?QUANTUM? F.

Quaestio F ordinate sequitur praedictas, quae intima rerum inspiciunt; nunc enim quantitas, quae primum essentialem rei naturam accidentaliter consequitur, utpote quae in omnibus physicis qualitatibus substrata intelligatur, sine qua ullam ex iisdem ne imaginari quidem esset possibile; ideo recte hanc omnes post substantiam immediate subordinatam accipiunt.

Ipsa duas habet species: continuum videlicet et discretum, quandoquidem alia est circa magnitudinem, alia numerum, alia mensuram significat, alia per additionem et multiplicationem, alia per divisionem partitionemque tendit in infinitum, alia principium habet punctum, alia unitatem. Subdividitur in eam quae molis est corporeae, vel momenta substantiae, essentiae, virtutis, efficaciae, praestantiae, et horum similium vel oppositorum, significat, et habet latissimum campum, ut alibi licebit intueri.

Exemplum primae speciei ?quantus est homo secundum magnitudinem?? dicitur tantus, ut in augmento perfecto constitutus sit maior serpente, cane; minor bove, camelo, elephante. ?Quantus in esse apto ad vitam?? non infra sexquicubiti magnitudinem, non supra decem cubitorum. ?Quantus secundum multitudinem?? non pauci, non innumerabiles, non infiniti. ?Quantus partium multitudine?? considera partes intrinsecas, extrinsecas, animam, animae potentias, corpus, corporis partes proximas usque ad elementa. Exemplum secundae speciei ?quantus est virtualiter, efficaciter?? considera et magnitudinem et multitudinem operationum, et examina per maioritatem, aequalitatem et minoritatem. Tantum enim potest unus homo, quantum perfectus alter, ut patet in homificativo, abili et are, et aliis communibus propriisque accidentibus; quod est per aequalitatem examinare. Responde etiam quod potest magis et plura facere quam species animalium infra ipsum, minus speciebus animalium quae simpliciore corpore vel simplici consistunt elemento, vel substantiae sunt corporeae magis spiritualis vel intellectualis; et hoc est per minoritatem examinare subiectum. Idem de examine per alios triangulos est iudicium, circa alia principia D ?quanta sit sua bonitas, sua sapientia, magnitudo, virtus, scientia? etc.

## VIII. Membrum.

DE SEXTA REGULA ?QUALE? G.

Quaestio haec praecedentem sequitur ob dictam rationem, quia omnis physica qualitas est corporea et est in subiecto dimensionato consistens; non quantum enim, neque mobile, neque alterabile, neque calidum, neque rarum esse potest. Hinc recte sentiunt quidam e Platonicis atque Peripateticis, materiam mediante quantitate esse reliquorum accidentium susceptivam, nec minus congrue qui dicunt indeterminatam quantitatem esse cum materia perpetuo consistentem, quae subinde per certas terminatasque formas substantiales, has vel illas, maiores vel minores, iuxta unum vel alium gradum et numerum sibi definiant dimensiones, quas conditio essentialis specificaeque differentiae natura velut intexit, ut subinde extrinsecae qualitates pro commodo subiectique congruentia superveniant.

Duas habet haec regula species, ut duplex est quale: proprium videlicet et appropriatum. Primum est naturale innatumque illud, quod soli speciei convenit et cum ipsa praedicative convertitur, illi soli omni semperque congruens. Secundum est quod post et extra innatam qualitatem, aut praeter, aut ultra, aut supra, aut secundum sequentem naturae ordinem succedit, aut a casu vel fortuna, aut ab intrinseca electione, quomodo et qualecunque sit illud.

Exemplum primae speciei si quaeratur ?qualis est homo?? dicitur per primam regulam G ?est risibilis?, quod est per innatam qualitatem, ?est rationalis?, quod innominatam essentialem indicat differentiam; alioqui enim ultimae rerum differentiae (sicut et earundem essentiae) innominabiles et inattingibiles esse dicuntur. Exemplum secundae speciei ?qualis est homo?? dicitur theologice ?beatificabilis, glorificabilis ultra finem et naturale bonum?; ethice ?malus per maiorem eius ad malum inclinationem, et bonus quia superiorem et nobiliorem naturam imitaturus regulatae rationis et intelligentiae innititur appulsui?; civiliter ?vilis, ignobilis, nobilis, heroicus?; physice ?sanus, bene contemperatus?; et ita multipliciter, logice, mathematice, mantice.

## IX. Membrum.

DE SEPTIMA REGULA ?QUANDO? H.

Quaestio ?quando? ideo sequitur, quia ubi quaesitum et consideratum quod est res et in re inhaerenter vel inexistenter, eorum quae circumstant, adsistunt et adiacent quod succedit; horum primum est tempus seu ?quando.? Ipsum vero ?quando? dupliciter consideratur: vel secundum eam qua continuum quoddam est vel continui terminus rationem, et ita tempus est proprie appellatum, atque quantitatis continuae species; alio pacto proprius, prout per plures durationis species est determinabile, et ita est unum inter categorias generalissimum, cuius species sunt semper, aliquando, nonnunquam, anno elapso, mense futuro, hodie. Hic Lullius iuxta communissimam capit ipsum significationem; omnes enim quaestiones quam latissime sumi possunt, sicut et alii termini capiuntur.

?Quando? quindecim dicitur habere species; totidem enim modis ad quaestionem ?quando? respondere possumus, puta quatuor modis regulae C, tribus modis regulae D, et octo modis utriusque regulae K adducendis. Quaerenti enim ?quando est homo?? dicitur ?quando est substantia animata sensitiva rationalis?, quae est a prima specie regulae C; ?quando habet in se intellectum, voluntatem? et caetera, per secundam regulam; ?quando est in entitate ens, in bonitate bonus? etc., per tertiam regulam; ?quando habet in demonstrabilibus scibilitatem et scientiam, in sensibilibus sensum? et caetera, per quartam regulam; ?quando est originatus, initiatus a patre, coelo et aliis?, per primam speciem regulae ?de quo?; ?quando est sua anima et suum corpus?, per secundam speciem; ?quando est Dei, providentiae, fati, fortunae?, per tertiam regulam; ?quando est mundi, a quo circumscribitur, continetur, influxum recipit?, per eandem regulam. Similiter octo aliis modis per similitudinem regulae D ab ipsa regula K ad hanc H transferendis, de quibus infra.

## X. Membrum.

DE OCTAVA REGULA ?UBI? I.

Quaestio ?ubi? praedictas sequitur; post enim tempus, quod partim adsistit partim inexistit, extat locus, qui magis extrinsecum quid est, respectu cuiuscumque de quo est quaestio. Tempus enim tum circa rem, tum in re ipsa consistere videtur, ?ubi? vero et locus tantum circumcirca. Ipsum quoque dupliciter consideratur, et videlicet ut continuum quoddam partibus positionem ad invicem habentibus constans, et species quantitatis continuae, et proprie locus dicitur; et secundum propriam significationem prout est determinabile per ea quibus possumus respondere ad quaesitum ?ubi est aliquid?, et est non solum generalissimum sed etiam transcendens. Et ita aut sumitur physice, vel secundum differentias locales, sursum deorsum, ante retro, dextra sinistra, intus extra, vel secundum denominatas locorum species, ut in coelo, in terra, in aere et reliquis; aut civiliter in foro, in templo, in senatu; aut mathematice in tali numero, in tali mensura, pondere, gradu, toto; aut logice in genere, specio; aut metaphysice in bonitate, sapientia, concordantia. Ita generaliter est terminus huius artis, quatenus videlicet omnes, quibus aliquid esse in alio imaginari et dicere possumus, modos complectitur. Sic verbum dicitur in mente, mens in verbo, planta in semine, linea in puncto, tempus in aeternitate. Unde contemplari licet artem istam organo vulgato scientiarum atque metaphysica, immo artibus omnibus, esse generaliorem; amplectitur enim scibilia, credibilia, operabilia, quidquid practicum, quidquid mechanicum, quidquid speculativum, quidquid contemplativum.

Habet haec regula itidem quindecim species, sicut et regula H; quot enim modis ad illam, totidem ad istam respondere possumus modis et iisdem, nihilo mutato praeter dictionem seu notam interrogationis; ubi videlicet aiebas ?quando?, dicas ?ubi?.

DE NONA REGULA K ?QUOMODO?.

Quaestio per elementum K designata duplex est. Prima est ?quomodo?, quae praedictas omnes consequitur, quia omnibus succedit quaerere quomodo; modus enim ubique supponit rem. Est enim intuitus modi essendi, quiditatis, dependentiae, consubsistentiae, possessionis, causae, finis, quantitatis, qualitatis, durationis, locationis, inexistentiae,

postquam res omnes istae fuerint. ?Quomodo? vero dupliciter consideratur, sicut et duplex est modalitatis differentia, intrinsece videlicet substantialiterque, et extrinsece accidentaliterque; hic secundum hos aliosque (si imaginari possunt) modos accipitur, quibus omnibus quaerenti modum responderi contingat.

Habet quatuor species: ?quomodo res est in se?, ?quomodo est in alio et aliud in ipsa?, ?quomodo est in partibus (quomodocumque partes habere contingat) et partes sunt in ipsa?, ?quomodo transmittat aliquid extra se ab intra, vel aliquid immittat in se ab extra?.

Exemplum primae speciei ?quomodo homo est in se?? dicitur per ?aliter? et ?ive?: rationaliter, substantialiter, corporaliter, spiritualiter, constitutive, intellective, adiective, substantive; per adverbia: bene, male, sapienter, potenter, durative etc., ex absolutis praedicatis; item ex respectivis: principaliter, mediate, finaliter, differenter, concordanter, contrarie etc. Exemplum secundae speciei ?quomodo est in alio?? respondetur per easdem modorum rationes et physice et metaphysice et logice et moraliter, localiter, definitive, finaliter, et mille aliis modis. Exemplum tertiae speciei ?quomodo in suis partibus, et partes suae in ipso?? respondetur eadem forma, considerando itidem quomodo et quales sunt partes, quibus integratur atque constituitur, physice, logice, metaphysice, quarum aliae propinquae, aliae remotae, aliae proximae, aliae ultimae, aliae sunt partes virtuales atque potentiales, ut vegetativa, sensitiva, rationalis. Exemplum quartae speciei ?quomodo homo transmittit aliquid a se?? respondetur generalibus modis, adverbiando nomina principiorum, ut proxime dictum est; distinguendo item modos, quibus homo ex facultatibus corporalibus vel incorporalibus aliquid extra se mittit, producens, generans, alterans, immutans, vel quoad facultates animales, apprehendens, cogitans, intelligens; aliquid item in se immutando, excitando, innovando, augendo, per earundem facultatum diversitatem. Et ita species haec tria habeat membra: emissionem, immissionem et conversionem immanentium.

DE DECIMA REGULA K.

Decima quaestio ?cum quo? est quam instrumentalitatis regulam etiam appellant, et est concomitantiae non minus regula, immo potius, quia instrumenti quaestio potius est ?quo? quam ?cum quo?. Sed quidquid sit in proposito, haec regula non ab re extremum nacta est locum; tum enim instrumentum, tum concomitans magis ab intrinseco rei distat, quam alia quaecumque ex praenumeratis. Ipsum ?cum quo? est primo duplex: et videlicet cum quo aliquid agit, et cum quo aliquid recipit seu patitur; seu cum quo est activum vel active, et cum quo est passive vel passivum. Secundo (ut dictum est de ?quomodo?) quatuor habet species, utpote ?cum quo est in se, cum quo est in alio vel aliud in ipso, cum quo est in partibus suis et cum quo partes suae sunt in ipso, cum quo aliquid extra mittit, cum quo intus innovat, commovet et inmutat ex interno?? respondetur per concomitantia et organa.

Exemplum primae speciei ?cum quo est homo in se instrumentative, seu quo est homo in se?? respondetur suo esse, suo posse, concomitanter cum omnibus iis quae sunt in se, quae ad ipsius se habent modum, cum angelo homo est in se, id est sicut angelus. Exemplum secundae ?quo homo est in alio instrumentative?? dicitur iuxta modum sui essendi in alio instrumentative, per instrumenta corporis et animae, haecque vegetativae, sensitivae, intellectivae: sic visus oculo est in visibilibus, lingua gustus in gustabili, tactus manu in tangibilibus vel extremis aliis partibus, abstracta specie intellectus in intelligibili. ?Cum quo est concomitanter in alio?? resp. cum iis quae in alio sunt ut homo. Exemplum tertiae ?cum quo homo est in partibus suis, seu partes suae sunt in ipso, quo est instrumentative?? resp. sua totalitate, cum omnibus iis quae sunt in partibus suis, et sicut omnia quae sunt vel consistunt in quodam toto vel totalitate quadam. Exemplum quartae speciei ?quo homo instrumentative transmittit aliquid a se?? respondetur per duas instrumentorum species, quorum alia <sunt corporalia, alia incorporea; emittit enim aliquid extra per instrumenta corporaliter expulsionis ad generationem et ad alios actus, transmittit etiam extra se per vocem quae est instrumentum quo indicantur animae affectiones.> ?Cum quo concomitanter excitat aliquid in se?? cum omnibus quae immanentem utcumque admittunt operationem.

## XI. Membrum.

Quemadmodum homine accepto pro subiecto discurrimus, ita et de quocunque alio proposito discurrere possumus aptatis praedicatis atque regulis modo conditionique eorundem; et ideo termini artis huius nullam contractivam recipere possunt differentiam, sicut fieri contingit ubi circa unum determinatumque genus artis est negotium. Errant igitur qui quasi definitiones Lullianas corrigere volentes, ad modum significandi reportant illum, qui in metaphysica comperitur vel logica aliqua. Mitto quando aliquis ex hisce terminis secundum totum suae significationis ambitum in una comprehenditur facultate. Ipsum igitur ?cum quo? sive instrumentativum non est solum artificiale vel physicum vel logicum vel morale, sed pro cuiuscunque subiecti considerabilis ratione, quomodolibet. Respondemus enim primo generaliter per ipsum ?ivum? et ?are?; secundum generaliter iuxta has primas enumeratas species; tertio magis specialiter per proximas eas, quae de genere eius de quo est quaestio sive regula existant; quarto specialissime iuxta modum proprium, proximum, propriissimum et adaequatum illius.

## PRIMAE HUIUS PARTIS EPILOGUS.

## I. Membrum.

De iis ergo, quae primo generalissimeque ad artem istam pertinent, dictum est atque distinctum, allatae sunt ordinis eorum rationes. Porro licet ex superioribus multi fuerint rotarum ordines adducti, ex iis tamen omnibus quatuor, qui in combinatoriam praxim referuntur, memoria retinendi sunt: figurae videlicet subiectorum, absolutorum praedicatorum, respectivorum praedicatorum, et regularum. Quoniam vero in omni proposito semper unum iam determinatum designatumque subiectum accipitur, ideo pro necessitate trium tantummodo figurarum (quae sunt de iis quae circa subiecta) memoriam promptissimam habere oportet; quamvis et usu venire possint per angulos secundae figurae ad cuiuscunque particularis subiecti propositum caetera omnia adiective capta, ut sit homo divinus, angelicus, coelestis,

imaginativus etc., elementum divinum, imaginarium, humanum, quantum, iustum etc., vel substantive accepta, ubi homo differenter vel concordanter vel alio modo sumitur cum omnibus aliis.

**SECTIO II**

## CAP. I. DE TERMINORUM MULTIPLICATIONE ET PRIMO SUBIECTORUM.

### I. Membrum.

Unum de principialibus eorum, quae ad inventionem, iudicium et ea quae consequuntur ex istis faciunt, est ratio multiplicandi terminos, quemadmodum ad arboris frugalitatem ramorum multiplicatio necessaria est, sine qua frustra fructuum uberiorem sperare possis copiam. Addit igitur praecedenti praesens consideratio plus momenti, quam in eodem genere simplo possit apponere centuplum. Eo igitur ordine, quo subiecta, praedicata atque regulae in superioribus habentur pro ratione artis huius definita, ad quem multiplicanda sunt modum etiam considerentur.

### II. Membrum.

Subiectum ergo, circa quod versatur intentio, inquisitio, inventio omnis et iudicium, est semper illud unum, circa quod et de quo multa affirmamus, negamus, dubitamus. Ipsum si multiplicari et dilatari debeat, velut in centro circuli collocetur, unde ad circumferentiam multae diversaeque producantur lineae, ad eorum circumferentialium terminorum extensionem, qui loco subiecti in eiusdem scientiae speciei conclusionibus accipi possint, utpote qui vel subiecto aequipollent, vel ipsum integrant atque quomodolibet constituunt, ad eiusdem apparatum, praeparationem, productionem et perfectam spectantes existentiam, qui vel cum eo convertuntur, vel essentialiter de ipso praedicantur et ad propriam idem denominent circumscriptionem. Eiusmodi sint subiecti partes, ut hominis anima, corpus et caetera; principia alia ex quibus et a quibus constituitur atque causatur vel proxime et immediate, vel mediate et primo; complexiones item proxime dictorum variae atque diversae, ut pars quam passio denominet, principium quod passio, passionem quam principium, principium quod pars, partem quam principium, passionem quam pars, partem quam passio, et ita de aliis; subiecti etiam actiones et operationes, quibus in similia et alia, vel a similibus et aliis afficitur, appropriate vel proprie; causarum enumeratio atque distinctio, effectuum percursio, contrariorum et quomodolibet oppositorum inspectio, congruentium quoque atque faventium commodorum ei quod ipsum vel ipsius vel quomodocumque aliter appositum, et quidquid simile, dissimile, proportionale est enumeratis his et aliis enumerabilibus.

### III. Membrum.

Huc accedant quaecumque de subiecto vel <ut> superiora, vel ut aequalia, vel adiective, vel substantive, nomina, praenomina, agnomina, synonyma dicuntur. Primo intentionalia, utpote quae ad rem significandam proxime referuntur, ut anima, corpus, homo, et omnia quae per decem categoriarum coordinationes explicantur; intentionalia secundo, utpote quae mediantibus primis intentionibus rebus ipsis iniuncta, per hasce tamen, in quibus habere fundamenta perhibentur, apposita non citra rationem habeantur. Omnia inquam haec post subiecti evacuationem, vel ante, vel simul, vel utcumque (pro rei tractandae natura) centro circuli succedant; ut quemadmodum subiectum ipsum per principia atque regulas est deductum, singula etiam, quae in huius rotae circumferentia sunt descripta, deducantur. Unde rotam huiusmodi totam tamquam dictionem unam concipias tandem, quae in centro circuli praedicatorum absolutorum et respectivorum triangulis habeatur. Sic ubi hominem per regulas atque principia deduxerimus, deducamus eius animam, eius intellectum, eius rationalitatem, partes, instrumenta, causas, effectus, et alia. Non m nus enim per horum singula, quam per ipsum subiectum (a proposito subiecti nunquam recedendo) discurrere possumus. Figuram igitur, a qua quilibet ad libitum subtrahere, et cui ad libitum addere poterit, hunc in modum constituendam obiicimus, ubi S subiecti multiplicandi nota est, ea quae circum circa geminabilia et (dummodo certi numeri ratio modusque tandem servetur) multiplicabilia sunt ordinata, eorum omnium quae subiecti vicaria esse valeant.

## <CAP. II.> DE PRAEDICATORUM ABSOLUTORUM MULTIPLICATIONE.

### I. Membrum.

Eadem qua subiecta multiplicare docuimus, praedicata etiam multiplicare docuisse forma possumus. Collocare etenim ipsum vel problematis praedicatum vel expositum subiectum in centro licet deducendum, ut si videndum sit an mundus sit aeternus, postquam mundus et ea quae mundi sunt, in centro circuli sunt digesta, haec quae aeternitas et ea quae aeternitatis sunt, digerantur; item ubi dictum est de mundo et mundi partibus, de bonitate mundi bonitateque partium, de bonitate aeternitatis et eorum quae ad eius rationem spectant, complexe item de bonitate aeternitatis mundi, et ita deinceps de magnitudine, duratione, principio et reliquis est intelligendum. Horum singulis adde eorundem privilegia, titulos atque denominationes; pro B enim, quod est bonum, possunt stare sui communicativum, appetibile, gratum, dignissimum ut sit, ut habeatur, ad quod ordinata sunt alia, cuius corruptio non potest esse bona quia ipsum est bonum, quod ad interitum non potest esse ordinatum tamquam bonum, quia adhuc esset ordinatum ad se ipsum, quod debet cum aeterno bonificante manere, quod arduum, difficile, rarum, perfectum, in omnibus pro naturae capacitate insitum, et alia quae ex philosophorum sententiis decerpere valeas.

His adde catalogum eorum quae sub figuris omnibus et earum membris illi praedicato sunt conformia, similia, analoga, et ea omnia quae per elementa proxime positae figurae denotantur, et alia; contraria item et quomodolibet his adversantia, et dissimilia, quae pro negativis remotivisque discursibus habendis extant aptiora; adde dictorum omnium circumstantias atque distinctiones, prout in cuiuscunque altitudine latitudineque scalae insinuatur.

### II. Membrum.

Si rhetoricus es vel poeta vel propheta, adde ex omnibus terminis qualiacunque occurrunt, assumptas metaphoras seu translationes, quas per similitudines, proportiones, vel per negationes, vel aliis modis qui in sigillis ?Apellis? atque ?Phidiae? a nobis aperiuntur, accommodes. Sic enim de omnibus omnia dici possunt, ut de homine serpens, planta, lectus, ovis, leo, lupus, radix, ramus, stirps, fructus, manus, cauda, dens, et alia centena millia. Porro expedit eos quoslibet assumere terminos, aliquo non inartificioso ordine digestos, e quibus unum, quem in ?vigesimo sigillo? aperui, producam in medium, quo (cum principio artificiosiore memorandi ratione carerem) ego ipse uti consuevi. Subiectum enim praedicatione terminorum famosi alicuius carminis vel cantici vel orationis terminis efformabam; ut si de prudentia mihi sermo fuerit habendus, accepta quae primum mihi sese offerret oratione, qualis est ?beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum?, hoc pacto procedens discurrebam. Prudentia est quae hominem tandem ad ?beatitudinem? seu ?beatum? in hac vita statum perducit et conservat, et fini suo coniunctum reddere valet. Hac puer et fatuus differt a ?viro?, qui non temporis ratione multaeque aetatis peracto cursu, sed consilii maturitate indicatur; hac eadem senes decrepitique aetate confecti et imbelles, tauros, leones et ursos domant et subiiciunt. Prudens est, ?qui? de rebus agendis recte consulit, et meditando praesentia et recolendo praeterita providet de futuris atque praecavet; ?non? est qui haec tantum, quae obversantur ad oculos, considerat, non ex auditu aurium vel ex visu iudicat oculorum, sed et de possibilibus atque contingentibus futuris apte discurrit. Ipse est qui recto naturae divinaeque legis tramite incedens, in amplas perditionis vias non umquam ?abiit?, ab arduo litterae pythagoricae dextro calle, ad dexteram vel ad laevam non divertit. Prudens sapientum et rationis, quae in animae puppi residet, ?in consilio? conquiescit, quo se tueatur, exaltet et aliis prodesse possit; ?impiorum? murmura non timet et insidias. Et ita deinceps per aliorum terminorum obiectum veluti manuductus, sive huius sive alius cuiuscumque memoratae orationis terminis, sive hoc sive quodcumque aliud subiectum deducendo, dilatet inventionis cursum. Quid item prohibet et hasce quascunque dictiones, ad subiecti denominationem adcommodatas, per principia, regolas et caetera deducere? Ut prudentiae beatitudinem, virilitatem, negationem, absentiam, impietatis adversitatem, consilium, viam, impeccabilitatem, constantiam, cathedram, pestis abactionem, sessionem, legem, dominium, voluntatem, meditationem, diem, noctem, similitudinem, arborem, plantationem, et caetera quae sequentibus eiusdem cantici dictionibus suggeruntur. Habes igitur S, quod significet prudentiam, et eos qui sunt in figurae circumferentia terminos, per quos illa deducenda occurrit.

## CAP. III. DE PRAEDICATORUM RESPECTIVORUM MULTIPLICATIONE.

### I. Membrum.

Ex antedictis de subiectorum absolutorumque praedicatorum multiplicatione multos ex temetipso elicere poteris modos, quibus iisdem praedicata respectiva multiplices; porro peculiares horum multiplicandorum modos explanemus. Multiplicantur igitur haec primo in propria significatione, secundo in aliena. In propria quidem tripliciter: primo unum respectivum praedicatum per alia respectiva deducendo, ut si dicamus BB differentia differentiae, BC differentia concordantiae seu concordantum, et ita deinceps usque ad BK, aliter quoque denominando dicendo differentia differens, differentia contrarians, principians etc.; ubi sicut deduxisti ipsum B, ita et ipsum C aliaque deducere poteris elementa. Secundo respectus ipsos commiscendo, duplicando, triplicando quatruplicando ut dicendo differentia principians, concordans, maior, minor, concordantia medians finalis seu in fine; et ita deinde iuxta propositorum modum subiectorumque capacitatem. Tertio per altitudinem latitudinemque ipsorum scalae, utpote a particularibus ad universalia conscendendo, descendendo e contra, et aliter (ut non est iterum repetere necessarium) faciendo.

In aliena autem dupliciter: primo per applicationem huius figurae ad primam, nempe subiectorum, quam nos attulimus, tum generalem, qua subiectorum genera dividantur, ut cum inter deum et angelum et hominem differentia consideratur vel concordantia vel reliqua; tum particularem, ut cum consideratur inter hunc angelum et hunc hominem, hoc coelum et illud, hanc et illam virtutem. Secundo per deductionem terminorum huius figurae T per terminos generales figurae A, quae est prima Lullio, i. absolutorum praedicatorum, ut cum B angulus, i. differentia, ponitur sub bonitate, quae est B figurae illius, significando differentiam inter bonitatem et bonitatem, cum sub C, significando differentiam inter magnitudinem et magnitudinem, et ita ulterius quoadusque ad K deventum fuerit; deinde ponendo angulum inter B et C illius figurae, significando differentiam inter bonitatem et magnitudinem; inter C et D, id est inter magnitudinem et durationem, et ultra usque ad medium inter I et K; deinde in tertium, ponendo angulum B inter B figurae A et D figurae eiusdem, videndo differentiam inter bonitatem et durationem; inter C et E, inter magnitudinem et potestatem, et ita deinceps, nec minus ad alias aequidistantias interiiciendo medium, in quartum, quintum, sextum atque septimum. Tertio per acceptionem terminorum altitudinis et longitudinis scalae eiusdem, quae ex praecedentibus possunt esse manifestae. Hoc quod diximus de angulo B, de aliis omnibus triangulorum in praesenti figura complicatorum angulis dictum intelligatur. Multiplicantur quarto eiusdem figurae termini per eorundem ex regulis informationem, qualis in proxime dicendis erit manifesta.

## CAP. IV. DE MULTIPLICATIONE REGULARUM.

### I. Membrum.

Satis per temetipsum ex superioribus regularum multiplicationem poteris intelligere, ad doctrinae nihilominus claritatem propositos non pigeat enumerare modos. Multiplicantur ergo primo per significationis earum latitudinem, quia videlicet non sub alicuius definitae scientiae ambitu perquirunt; secundo per earum enumeratas species; tertio per earum ad invicem complicationem, ut ibi componuntur ?utrum? cum ?quid?, dicenti: quid est hoc quod dicis esse? numquid est hoc ipsum quod definis? de quo est hoc ita definitum? Nec non singulas per singulas deducendo, ut patet in progressu linearum ab uno circumferentiae termino ad alios omnes designatos extentarum, unam tandem per duas vel duas per unam, ut in eadem figura manifestatur, ubi una quaestionum (quae hic per A designetur quaelibet) in centro collocata, primum quidem inde ad singulas, moxque a singulis ad omnes deducatur, ut BF: utrum est tale quale dicis? CKB: quid est illud, cum quo aliquid est aliquando? Ita de caeteris, etiam si ulteriores tentare velis quaestiones. Ubi tamen illud non debes existimare, quod quaestionum non est complicatio proprie, sed regularum. In omni enim problemate uno et singulari non plus quam unam possumus intelligere quaestionem, quam tamen in complicatione plurium regularum diversa unam nihilominus possumus et debemus intelligere.

B utrum
C quid
D de quo
E quare
F quantum
G quale
H quando
I ubi
K quomodo, cum quo.

Quarto multiplicantur per deductionem per regularum species universas, postquam per ipsa regularum genera sunt deductae. Ipsum quidem fit, tum per suas tum et per alienas; ut dicendo: quid in se? quid est in alio? quid habet? quid est quo originaliter? quid est eius quantitas, habitus, dispositio? ubi? quomodo? eius sursum? eius aetas quid est? Quinto per deductionem singularum specierum regularum per alias regulas: quare, utrum? id est ad quem finem haec res est? ad quem finem hoc est de aliquo? Sexto per deductionem specierum singularum regularum per omnes eiusdem et aliarum regularum species, ut facile per se ipsum quilibet inducens videre poterit.

Sic dispersa, inordinata vel aliter ordinata habes in quas reducas aggregesque classes, quia rebus in hypostasim quandam dispositis non inventionem ditare modo, sed et memoriam confirmare queas.

## CAP. I. DE TERMINORUM MULTIPLICATIONE ET PRIMO SUBIECTORUM.

### I. Membrum.

Unum de principialibus eorum, quae ad inventionem, iudicium et ea quae consequuntur ex istis faciunt, est ratio multiplicandi terminos, quemadmodum ad arboris frugalitatem ramorum multiplicatio necessaria est, sine qua frustra fructuum uberiorem sperare possis copiam. Addit igitur praecedenti praesens consideratio plus momenti, quam in eodem genere simplo possit apponere centuplum. Eo igitur ordine, quo subiecta, praedicata atque regulae in superioribus habentur pro ratione artis huius definita, ad quem multiplicanda sunt modum etiam considerentur.

### II. Membrum.

Subiectum ergo, circa quod versatur intentio, inquisitio, inventio omnis et iudicium, est semper illud unum, circa quod et de quo multa affirmamus, negamus, dubitamus. Ipsum si multiplicari et dilatari debeat, velut in centro circuli collocetur, unde ad circumferentiam multae diversaeque producantur lineae, ad eorum circumferentialium terminorum extensionem, qui loco subiecti in eiusdem scientiae speciei conclusionibus accipi possint, utpote qui vel subiecto aequipollent, vel ipsum integrant atque quomodolibet constituunt, ad eiusdem apparatum, praeparationem, productionem et perfectam spectantes existentiam, qui vel cum eo convertuntur, vel essentialiter de ipso praedicantur et ad propriam idem denominent circumscriptionem. Eiusmodi sint subiecti partes, ut hominis anima, corpus et caetera; principia alia ex quibus et a quibus constituitur atque causatur vel proxime et immediate, vel mediate et primo; complexiones item proxime dictorum variae atque diversae, ut pars quam passio denominet, principium quod passio, passionem quam principium, principium quod pars, partem quam principium, passionem quam pars, partem quam passio, et ita de aliis; subiecti etiam actiones et operationes, quibus in similia et alia, vel a similibus et aliis afficitur, appropriate vel proprie; causarum enumeratio atque distinctio, effectuum percursio, contrariorum et quomodolibet oppositorum inspectio, congruentium quoque atque faventium commodorum ei quod ipsum vel ipsius vel quomodocumque aliter appositum, et quidquid simile, dissimile, proportionale est enumeratis his et aliis enumerabilibus.

### III. Membrum.

Huc accedant quaecumque de subiecto vel <ut> superiora, vel ut aequalia, vel adiective, vel substantive, nomina, praenomina, agnomina, synonyma dicuntur. Primo intentionalia, utpote quae ad rem significandam proxime referuntur, ut anima, corpus, homo, et omnia quae per decem categoriarum coordinationes explicantur; intentionalia secundo, utpote quae mediantibus primis intentionibus rebus ipsis iniuncta, per hasce tamen, in quibus habere fundamenta perhibentur, apposita non citra rationem habeantur. Omnia inquam haec post subiecti evacuationem, vel ante, vel simul, vel utcumque (pro rei tractandae natura) centro circuli succedant; ut quemadmodum subiectum ipsum per principia atque regulas est deductum, singula etiam, quae in huius rotae circumferentia sunt descripta, deducantur. Unde rotam huiusmodi totam tamquam dictionem unam concipias tandem, quae in centro circuli

praedicatorum absolutorum et respectivorum triangulis habeatur. Sic ubi hominem per regulas atque principia deduxerimus, deducamus eius animam, eius intellectum, eius rationalitatem, partes, instrumenta, causas, effectus, et alia. Non m nus enim per horum singula, quam per ipsum subiectum (a proposito subiecti nunquam recedendo) discurrere possumus. Figuram igitur, a qua quilibet ad libitum subtrahere, et cui ad libitum addere poterit, hunc in modum constituendam obiicimus, ubi S subiecti multiplicandi nota est, ea quae circum circa geminabilia et (dummodo certi numeri ratio modusque tandem servetur) multiplicabilia sunt ordinata, eorum omnium quae subiecti vicaria esse valeant.

## <CAP. II.> DE PRAEDICATORUM ABSOLUTORUM MULTIPLICATIONE.

### I. Membrum.

Eadem qua subiecta multiplicare docuimus, praedicata etiam multiplicare docuisse forma possumus. Collocare etenim ipsum vel problematis praedicatum vel expositum subiectum in centro licet deducendum, ut si videndum sit an mundus sit aeternus, postquam mundus et ea quae mundi sunt, in centro circuli sunt digesta, haec quae aeternitas et ea quae aeternitatis sunt, digerantur; item ubi dictum est de mundo et mundi partibus, de bonitate mundi bonitateque partium, de bonitate aeternitatis et eorum quae ad eius rationem spectant, complexe item de bonitate aeternitatis mundi, et ita deinceps de magnitudine, duratione, principio et reliquis est intelligendum. Horum singulis adde eorundem privilegia, titulos atque denominationes; pro B enim, quod est bonum, possunt stare sui communicativum, appetibile, gratum, dignissimum ut sit, ut habeatur, ad quod ordinata sunt alia, cuius corruptio non potest esse bona quia ipsum est bonum, quod ad interitum non potest esse ordinatum tamquam bonum, quia adhuc esset ordinatum ad se ipsum, quod debet cum aeterno bonificante manere, quod arduum, difficile, rarum, perfectum, in omnibus pro naturae capacitate insitum, et alia quae ex philosophorum sententiis decerpere valeas.

His adde catalogum eorum quae sub figuris omnibus et earum membris illi praedicato sunt conformia, similia, analoga, et ea omnia quae per elementa proxime positae figurae denotantur, et alia; contraria item et quomodolibet his adversantia, et dissimilia, quae pro negativis remotivisque discursibus habendis extant aptiora; adde dictorum omnium circumstantias atque distinctiones, prout in cuiuscunque altitudine latitudineque scalae insinuatur.

### II. Membrum.

Si rhetoricus es vel poeta vel propheta, adde ex omnibus terminis qualiacunque occurrunt, assumptas metaphoras seu translationes, quas per similitudines, proportiones, vel per negationes, vel aliis modis qui in sigillis ?Apellis? atque ?Phidiae? a nobis aperiuntur, accommodes. Sic enim de omnibus omnia dici possunt, ut de homine serpens, planta, lectus, ovis, leo, lupus, radix, ramus, stirps, fructus, manus, cauda, dens, et alia centena millia. Porro expedit eos quoslibet assumere terminos, aliquo non inartificioso ordine digestos, e quibus unum, quem in ?vigesimo sigillo? aperui, producam in medium, quo (cum principio artificiosiore memorandi ratione carerem) ego ipse uti consuevi. Subiectum enim praedicatione terminorum famosi alicuius carminis vel cantici vel orationis terminis efformabam; ut si de prudentia mihi sermo fuerit habendus, accepta quae primum mihi sese offerret oratione, qualis est ?beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum?, hoc pacto procedens discurrebam. Prudentia est quae hominem tandem ad ?beatitudinem? seu ?beatum? in hac vita statum perducit et conservat, et fini suo coniunctum reddere valet. Hac puer et fatuus differt a ?viro?, qui non temporis ratione multaeque aetatis peracto cursu, sed consilii maturitate indicatur; hac eadem senes decrepitique aetate confecti et imbelles, tauros, leones et ursos domant et subiiciunt. Prudens est, ?qui? de rebus agendis recte consulit, et meditando praesentia et recolendo praeterita providet de futuris atque praecavet; ?non? est qui haec tantum, quae obversantur ad oculos, considerat, non ex auditu aurium vel ex visu iudicat oculorum, sed et de possibilibus atque contingentibus futuris apte discurrit. Ipse est qui recto naturae divinaeque legis tramite incedens, in amplas perditionis vias non umquam ?abiit?, ab arduo litterae pythagoricae dextro calle, ad dexteram vel ad laevam non divertit. Prudens sapientum et rationis, quae in animae puppi residet, ?in consilio? conquiescit, quo se tueatur, exaltet et aliis prodesse possit; ?impiorum? murmura non timet et insidias. Et ita deinceps per aliorum terminorum obiectum veluti manuductus, sive huius sive alius cuiuscumque memoratae orationis terminis, sive hoc sive quodcumque aliud subiectum deducendo, dilatet inventionis cursum. Quid item prohibet et hasce quascunque dictiones, ad subiecti denominationem adcommodatas, per principia, regolas et caetera deducere? Ut prudentiae beatitudinem, virilitatem, negationem, absentiam, impietatis adversitatem, consilium, viam, impeccabilitatem, constantiam, cathedram, pestis abactionem, sessionem, legem, dominium, voluntatem, meditationem, diem, noctem, similitudinem, arborem, plantationem, et caetera quae sequentibus eiusdem cantici dictionibus suggeruntur. Habes igitur S, quod significet prudentiam, et eos qui sunt in figurae circumferentia terminos, per quos illa deducenda occurrit.

## CAP. III. DE PRAEDICATORUM RESPECTIVORUM MULTIPLICATIONE.

### I. Membrum.

Ex antedictis de subiectorum absolutorumque praedicatorum multiplicatione multos ex temetipso elicere poteris modos, quibus iisdem praedicata respectiva multiplices; porro peculiares horum multiplicandorum modos explanemus. Multiplicantur igitur haec primo in propria significatione, secundo in aliena. In propria quidem tripliciter: primo unum respectivum praedicatum per alia respectiva deducendo, ut si dicamus BB differentia differentiae, BC differentia concordantiae seu concordantum, et ita deinceps usque ad BK, aliter quoque denominando dicendo differentia

differens, differentia contrarians, principians etc.; ubi sicut deduxisti ipsum B, ita et ipsum C aliaque deducere poteris elementa. Secundo respectus ipsos commiscendo, duplicando, triplicando quatruplicando ut dicendo differentia principians, concordans, maior, minor, concordantia medians finalis seu in fine; et ita deinde iuxta propositorum modum subiectorumque capacitatem. Tertio per altitudinem latitudinemque ipsorum scalae, utpote a particularibus ad universalia conscendendo, descendendo e contra, et aliter (ut non est iterum repetere necessarium) faciendo.

In aliena autem dupliciter: primo per applicationem huius figurae ad primam, nempe subiectorum, quam nos attulimus, tum generalem, qua subiectorum genera dividantur, ut cum inter deum et angelum et hominem differentia consideratur vel concordantia vel reliqua; tum particularem, ut cum consideratur inter hunc angelum et hunc hominem, hoc coelum et illud, hanc et illam virtutem. Secundo per deductionem terminorum huius figurae T per terminos generales figurae A, quae est prima Lullio, i. absolutorum praedicatorum, ut cum B angulus, i. differentia, ponitur sub bonitate, quae est B figurae illius, significando differentiam inter bonitatem et bonitatem, cum sub C, significando differentiam inter magnitudinem et magnitudinem, et ita ulterius quoadusque ad K deventum fuerit; deinde ponendo angulum inter B et C illius figurae, significando differentiam inter bonitatem et magnitudinem; inter C et D, id est inter magnitudinem et durationem, et ultra usque ad medium inter I et K; deinde in tertium, ponendo angulum B inter B figurae A et D figurae eiusdem, videndo differentiam inter bonitatem et durationem; inter C et E, inter magnitudinem et potestatem, et ita deinceps, nec minus ad alias aequidistantias interiiciendo medium, in quartum, quintum, sextum atque septimum. Tertio per acceptionem terminorum altitudinis et longitudinis scalae eiusdem, quae ex praecedentibus possunt esse manifestae. Hoc quod diximus de angulo B, de aliis omnibus triangulorum in praesenti figura complicatorum angulis dictum intelligatur. Multiplicantur quarto eiusdem figurae termini per eorundem ex regulis informationem, qualis in proxime dicendis erit manifesta.

## CAP. IV. DE MULTIPLICATIONE REGULARUM.

### I. Membrum.

Satis per temetipsum ex superioribus regularum multiplicationem poteris intelligere, ad doctrinae nihilominus claritatem propositos non pigeat enumerare modos. Multiplicantur ergo primo per significationis earum latitudinem, quia videlicet non sub alicuius definitae scientiae ambitu perquirunt; secundo per earum enumeratas species; tertio per earum ad invicem complicationem, ut ibi componuntur ?utrum? cum ?quid?, dicenti: quid est hoc quod dicis esse? numquid est hoc ipsum quod definis? de quo est hoc ita definitum? Nec non singulas per singulas deducendo, ut patet in progressu linearum ab uno circumferentiae termino ad alios omnes designatos extentarum, unam tandem per duas vel duas per unam, ut in eadem figura manifestatur, ubi una quaestionum (quae hic per A designetur quaelibet) in centro collocata, primum quidem inde ad singulas, moxque a singulis ad omnes deducatur, ut BF: utrum est tale quale dicis? CKB: quid est illud, cum quo aliquid est aliquando? Ita de caeteris, etiam si ulteriores tentare velis quaestiones. Ubi tamen illud non debes existimare, quod quaestionum non est complicatio proprie, sed regularum. In omni enim problemate uno et singulari non plus quam unam possumus intelligere quaestionem, quam tamen in complicatione plurium regularum diversa unam nihilominus possumus et debemus intelligere.

B utrum<br>
C quid<br>
D de quo<br>
E quare<br>
F quantum<br>
G quale<br>
H quando<br>
I ubi<br>
K quomodo, cum quo.

Quarto multiplicantur per deductionem per regularum species universas, postquam per ipsa regularum genera sunt deductae. Ipsum quidem fit, tum per suas tum et per alienas; ut dicendo: quid in se? quid est in alio? quid habet? quid est quo originaliter? quid est eius quantitas, habitus, dispositio? ubi? quomodo? eius sursum? eius aetas quid est? Quinto per deductionem singularum specierum regularum per alias regulas: quare, utrum? id est ad quem finem haec res est? ad quem finem hoc est de aliquo? Sexto per deductionem specierum singularum regularum per omnes eiusdem et aliarum regularum species, ut facile per se ipsum quilibet inducens videre poterit.

Sic dispersa, inordinata vel aliter ordinata habes in quas reducas aggregesque classes, quia rebus in hypostasim quandam dispositis non inventionem ditare modo, sed et memoriam confirmare queas.

## SECTIO III

## DE IIS QUAE PRAECISE SPECTANT AD SECUNDAM INTELLECTUS OPERATIONEM, ET TERTIAM FIGURAM RAYMUNDI LULLI.

### I. Membrum.

Licet ex superioribus omnia ex te possis intelligere (in his enim quidquid pertinet ad omnes operationes intellectus, nedum implicitum, sed et maxime explicatum habemus), tamen hoc seorsum est animadvertendum, quod quemadmodum considerata sunt universa per singula (nempe cum regulae post regulas, subiecta post subiecta, praedicata post praedicata, ad informandam simplicem eorum apprehensionem definiebantur), modo considerentur ut

alia cum aliis complectuntur primo ad propositiones constituendas, quatenus secunda intellectus operatio exerceatur, compositio videlicet et divisio, seu affirmatio vel negatio. Hoc est illud quod licet contemplari in his quae habentur in Lullio, ubi de tertia figura, in qua ad binarium numerum (altero significante subiectum, altero significante praedicatum) elementa complectuntur.

Id autem dupliciter efficitur: vel in eadem figura, ut cum dicitur BC, i. bonitate magna; vel in diversis figuris, ut cum dicitur BC, i. bonitate concordans.

### II. Membrum.

Ipsa quidem compositio seu complexio tripliciter incedit: vel per discursum, ut cum ipsi B succedunt octo, dicendo BC. BD. BE. BF. BG. BH. BI. BK; ipsi C succedunt septem, dicendo CD. CE. CF. CG. CH. CI. CK; similiter deinceps ipsi D succedunt sex, ipsi E quinque, ipsi F quatuor, ipsi G tria, ipsi H duo, ipsi I unum.

Vel fit secundo per ascensum, ut cum dicitur KI. KH. KG usque ad octo succedentia, HG. HF. HE usque ad sex succedentia, FE. FD usque ad quatuor, ED. EC. EB usque ad tria, DC. DB duo, CB unum.

Vel fit tertio per concatenationem, ut cum dicitur BC. CD. DE. EF. FG. GH. HI. IK, quae concatenatio simplex est, et a singulis et ab omnibus potest exordium sumere, ut et proxime dicti ascensus et descensus; porro undecunque incipiendo ex vi propositi semper omnes annuli catenae, sea omnes camerae domus sunt examinandae, nempe si incipias a camera HI, verbi gratia dicendo: vera virtus, procedas inde ad IK. KB. BC. CD et caet. Unde quacunque incipias, ita semper omnes poteris discurrere mansiones, ac si camerae essent in circulum dispositae; etenim semper discursus eo revertitur, unde factum est exordium.

Vel fit quarto per geminationem, ut cum dicitur BB. CC. DD. EE. FF. GG. HH. II. KK; quos quidem quatuor in subsequenti tabella considerare facillime poteris ordines.

Quae quidem tabella est tabella Lullii ingeminata; ita ut illa habet triginta sex cameras, ista habet primo ex prima conversione septuaginta duas, deinde ex geminatione, quae per diametrum eius tabellae sumitur, erunt octoginta una. Geminatio quidem fit modo dicto per diametrum; reflexio fit hoc pacto, ut fiat ascensus eo unde factus est descensus, ut patet cum suprapositum quadratum, quod ex pluribus gnomonibus constat, dividitur in suos gnomones, hoc pacto ut sumendo ultimum gnomonem.

Similis ratio est de penultimo usque ad primum, in quibus omnibus patet reflexio et reflexionis ordo. Universaliter autem causatur dicta figura ex hoc quod novem elementa huius artis, posita pro capitibus novem columnarum, extendant dorsum novem columnarum ex hoc quod unum elementum recipit omnium aliorum societatem et sui ipsius geminationem. Et ita pro hac parte habes formam subiecti et praedicati, quae quidem repraesentatur per duo elementa, per quorum combinationem propositio conflatur et secunda intellectus operatio informatur.

### III. Membrum.

Istae sunt triginta sex camerae, quae quidem ex triplici significatione ipsorum elementorum constituunt in eorum evacuatione primo quidem duodecim propositiones; secundo viginti quatuor quaestiones, quae ex duabus regulis in duobus elementis significatis duplicant duodecim illas propositiones; tertio quae multiplicantur evacuatione ipsarum specierum dictarum regularum; quarto quae interpositione duorum mediorum per duo etiam elementa significatorum duodecim mediis propositiones multiplicantur, ut patet in sexta parte Lullii tum in ?Arte magna? tum in ?Arte parva?, quae est ?De evacuatione tertiae figurae?, ordinatius autem atque brevius in nostris, ubi sufficit in camera BC exemplificasse, eodem modo se habentibus caeteris cameris. Ea omnia per haec a nobis hic notata optime possunt intelligi et iudicari.

## SECTIO IV

## DE HIS QUAE PERTINENT AD QUARTAM FIGURAM ET TERTIAM INTELLECTUS OPERATIONEM. CAP. III.

### I. Membrum.

Consequens est modo de pertinentibus ad quartam figuram a Lullio propositam considerare, unde confletur tertia intellectus operatio, quae est argumentatio.

Quarta igitur figura componitur ex tribus circulis, quorum superior semper est immobilis, duo autem inferiores sunt mobiles, ut patet in praesenti schemate.

Ubi manente immobili utroque extremo, posito B circuli mediocris infra B circuli superioris et infimi, causantur novem camerae, quae sunt ex trigeminatis novem elementis; deinde sub B circuli superioris et supra B circuli inferioris posito C circuli medii, causantur novem aliae camerae, nempe BCB. CDC. DED. EFE. FGF. GHG. HIH. IKI. KBK; deinde moto D circuli medii inter duo BB supremi et infimi, causantur novem aliae camerae, nempe BDB. CEC. DFD. EGE. FHF. GIG. HKH. IBI. KCK. Similiter motis aliis septem elementis omnibus infra B circuli superioris et B circuli inferioris, acquiruntur totidem novenae camerarum. Unde sicut processum est in motu circuli mediocris infra duos circulos, similiter procedi poterit in multiplicationem earum per motum circuli inferioris sub duobus superioribus.

Habes igitur designatas columnas et cameras: columnae quidem sunt, quae constant ex pluribus cameris et sunt ipsa totalis variatio, quae fit ex uno motu unius elementi sub aliis vel infra alia; camerae autem sunt ipsae columnarum

partes, quae omnes ex tribus constant elementis in proposito. Hinc patet ratio constituendae tabulae secundum ordinem.

DE RATIONE TABULAE MAGNAE A LULLIO POSITAE.

Habita tabula constante ex columnis causatis modo proxime dicto atque multiplicatis, emergit subinde tabula magna, quae constituitur ex ipso T addito et diversimode ordinato.

Ipsum autem T ponitur ad significandam variationem terminorum, ut habeas quando ipsa elementa signicant terminos primae figurae, et quando significant terminos secundae figurae. Semper enim literae ante T significant terminos primae figurae, literae post T terminos secundae, ut quando T ponitur in principio, omnes termini sunt de prima figura. Hic ubi dicitur BCTB, significatur bonitas magna differens vel bonitas magnam habens differentiam; BTCB significatur bonitas differens per concordantiam (non enim concordare dicuntur nisi quae aliquo pacto differunt, et omnia quae concordare dicuntur, quodammodo differunt; non enim dicitur idem concordare cum se ipso); TBCB significatur differentia concordantis et differentis, seu differentia inter id quod concordat et id quod differt, BCBT i. bonitas magna bonificabilis seu bonificantis seu bonificati, vel bonificabile vel bonificativum vel bonificare magna bonitate. Ecce quomodo ex una camera praecedentis tabulae exurget columna alia per diversas ipsius T coordinationes, ut patet in prima columna Lullii, quae quidem constituitur ex camera BCD, modo B praecedente, modo C praecedente, modo D praecedente, et ipso T in elementis illis tribus diversimode secundum praedictum modum situato.

Sicut ergo effectum est de hac camera BCD, ita effici potest de cameris omnibus aliis. Exempla per singula et per omnia ab ipso Lullio in sua ?Arte magna? poterit qui volet intueri, sufficiat autem nobis eorum rationem, causam et ordinem insinuasse, tuque ex temetipso poteris meliori ingenio practicare melius; et a Lullio sufficiat tibi ipsius rei rudem formam percepisse, qui quidem omnem pulchritudinem et affabrilitatem soli bonitati ipsius negotii intentus contempsisse videtur.

DE USU TERTIAE ET QUARTAE FIGURAE ET TABULAE GENERALIS.

Triplex cum sit intellectus operatio, ut in superioribus manifestavimus, in omnibus contingit complexionem terminorum assumere: in prima quidem definiendo, in secunda verificando, in tertia argumentando. Definimus, cum dicimus animal rationale mortale, qui termini sunt significati per EG. Verificamus, cum dicimus homo est animal rationale mortale, qui termini sunt significati etiam per FG. Argumentamur, cum dicimus omne utens ratione scu ratiocinativum est animal rationale, homo est quoddam ratiocinativum, ergo est animal rationale; qui termini sunt significati per EFG, ubi F significat medium, propter quod praedicatum ipsum, quod est definitio, convenit ipsi subiecto seu definito seu definibili.

Per tertiam ergo figuram habemus definitiones et propositiones, quae ambae constant ex duobus terminis; definitio enim conflatur ex genere et differentia, propositio vero ex subiecto et praedicato.

Per quartam vero figuram contingit tum definire, cum sumimus genus cum pluribus differentiis, ut cum dicimus animal rationale mortale. Contingit etiam verificare cum tribus vel pluribus terminis, ut cum dicimus Deus est magnus potentia et sapientia. Contingit etiam demonstrare, cum inter subiectum et praedicatum, utpote inter unum terminum significatum per circulum superiorem tertiae figurae, et circulum inferiorem eiusdem, assumimus diversa media ad demonstrandum ipsum significatum per elementum infimi circuli praedicari de significato per elementum superioris circuli, ita ut circulus medius semper significet causam vel medium propter quod praedicatum dicitur de subiecto. Quod pateat per exemplum istud. Vis demonstrare Deum esse omnipotentem, habes Deum pro subiecto, habes omnipotentem pro praedicato, dispone ergo elementum B in circulo superiori significans subiectum quod est Deus, E circuli infimi significans praedicatum quod est potentia summa. Pro demonstrando et probando oportet investigare et invenire medium seu causam; manentibus ergo inmobilibus supremo et infimo circulo, ducantur infra duo illa caetera elementa per ordinem, revolvendo medium circulum, ponendo primo B infra praedicta et dicendo BBE, i. omne diffusivum sui ipsius (quod est unum de rationibus bonitatis) habet potentiam qua se ipsum diffundit, Dens est summe sui ipsius diffusivus, ergo summe potens seu omnipotens. Vel sic: omne summe bonificativum in summo potest benefacere et per consequens potest in summo, Deus est summe bonificativus et per consequens etc., ergo etc. Deinde loco ipsius B medii succedat C, dicendo BCE: omne sciens omnia seu summe sciens potest super omnia seu habet summam potentiam, Deus est summe sciens et intelligens super omnia, ergo habet summam potentiam seu omnipotens est. Similiter per alia media fieri potest. Quae quidem media non solum sunt termini ipsi in arte expliciti, sed etiam esse possunt innumeri alii, prout superius docuimus, ordinando domos pro terminis praecipuis in arte explicitis, in quibus sunt plures camerae et loca particularia referentia terminos significantes bonitatem, magnitudinem, differentiam etc., quia sunt vel eorum concomitantia, vel eorum effectus, vel eorum signa, vel eorum causae; unde quatruplex genus demonstrationis emergit, ut videbitur.

Ipsum ergo B medii circuli non solum stat pro significanda bonitate, sed pro innumeris aliis, nempe suo concreto, communicativo sui, appetibili, mali contrario etc. Similiter de sapientia et aliis.

Quo ergo plures terminos tibi comparaveris, magis dilatando et replendo domos, quas ordinavimus constituendas, eo plura atque certiora habebis media, quibus eandem conclusionem non ex futilibus et vana multiplicitate valeas demonstrare, sed ex propriis et necessariis. An hucusque pertigerit Lullius, tu ipse considera, et perpende quantum huic arti additum sit a nobis.

Postquam vero discurreris per revolutionem circuli mediocris, per informationem camerae BE adsciscentis medium ex omnibus novem elementis ex una figura, utpote prima, quasi ipso T subsequente, dicendo in forma BBET, BCET, BDET, et ita deinceps, poteris nova argumenta ordinare, adsciscendo terminos ex alia figura, quasi ipso T praecedente, dicendo in forma TBBE, TBCE, TBDE, et ita deinceps; rursum et alia argumenta, admiscendo unam figuram cum altera, dicendo BTBE, BTCE, BTDE, et ita deinceps, quae omnia clara sunt exemplo superiorum.

## DE MULTIPLICI VIA DOCTRINAE ET MEDIO AD DEMONSTRATIVE CONCLUSIONEM INFERENDAM. CAP. IV.

### I. Membrum.

E supra dictis facillimum esse constat innumerabilia (ut et innumerabiles fere sunt termini, et velut infinitae terminorum combinationes) ad aliquid concludendum asciscere nos posse media; iam aliquid obiter de ipsorum speciebus ad diversimode pro subiectorum mediorumque diversitate demonstrandum afferre non pigeat. Quod ob eam maxime causam faciendum ducimus, quia (asinorum quorundam iudiciis praetermissis, qui brutali quadam temeritate ea quorum ipsi nullam habere possunt rationem, vana per se ipsa volunt iudicari) aliqui nonnullo ingenio donati in eo ipso huic arti detrahunt, in quo maxime convincitur excellere. Quod sane ab eis ideo factum esse constat, quia eorum de arte ista ratio eo usque conscendisse non potuit, unde velut e densa nigraque silice lumen ignemque sublatescentem excuterent. Ex iis unum mihi alioqui non admodum vulgaris ingenii atque iudicii vidisse licuit, qui in libro quodam, qui ?De vanitate scientiarum? inscribitur (ubi titulus ipse quale sit in operis progressu studium, plus quam satis, nisi me forte ironica illa eiusdem libri conclusio fallat, expressit), hanc artem inquit in copia, ordine, ostentatione et veluti quadam fimbriarum dilatatione consistere ita ut non scientiam et aliquam magnifaciendam contemplationem, quam multae doctrinae profundiorisque cognitionis pariat existimationem. Porro nihil de hac arte dicit ille, quod idem de caeteris facultatibus atque scientiis (praeter illam quam ipse in fine videtur extollere) dici nequeat. In universis etenim nullus nisi plus quam mediocriter stultus veram et non vanitati similem post omne studium se nactum esse noverit scientiam; quod sane et is, qui maxime omnium philosophorum humano ingenio tribuisse videtur, Aristoteles, testatur, ubi rerum substantias ultimasque differentias innominabiles inperceptibilesque dicit, et oculum intelligentiae nostrae ad manifestissima se habere naturae haud aliter quam nocturnae avis oculos ad lumen solis. Mitto eos qui veritatem in densissima caligine consistentem definientes, tunc se maxime cognovisse et culmen attigisse philosophiae existimabant, cum suam ignorantiam non ignorare sibi viderentur. Quod ergo per omnes scientias habere tandem possibile est, per artem istam utpote per causam maxime generalem acquiritur. Quod si caeterae praeter existimationem nihil quod sit ingentis momenti prae se ferunt, satis est quod ista ultra existimationem aliquid contineat, quod vir ille aut prorsus non penetravit aut non satis.

## II. Membrum.

Ad propositum igitur est animadvertendum, quod cum multiplex extet argumentationis et artificiosae demonstrationis genus, utpote ab iis quae nobis sunt promptiora, ab iis quae secundum naturam sunt notiora, ab iis quae notiora atque priora sunt secundum esse et secundum cognitionem eadem, qualem in mathematicis ordinem esse vulgatum satis est; triplex non sine causa demonstrationis genus a quibusdam Peripateticis Arabibus adducitur, ?simpliciter? videlicet seu causae generaliter, ?propter quid? seu causae essendi, et ?quia? seu causae cognoscendi vel signi. Demonstrationem simpliciter definiunt, quae est ex prioribus causis atque principiis, a quibus iisdem res fit et primo cognoscitur, ut punctus, linea et angulus se habent ad figuras; demonstrationem signi dicunt, quae ex prioribus eiusmodi incedit, quibus res cognosci tantum primo incipit; demonstrationem vero propter quid, quae ex causis essendi a sensu rationeque remotioribus ad ipsum effectum discurrit. Divisionem hanc tamquam in suo genere magis sufficientem probamus, quantumvis eam Graeci non attigerint commentatores, et Aristoteles non tantum expresserit quantum ignorantibus et crassioribus satis esset ingeniis.

## III. Membrum.

Huic triplici demonstrationis generi, quod e duobus prioritatis unoque posterioritatis modis integrari videtur, quartus a nobis modus ille adiicitur, quem ex aequalibus seu coaequaevis dicere posses, utpote qui est ex iis quae nec subiectum antecedunt neque subsequuntur, sed comportantur, cumque eo posito necessario ponuntur ipsumque definiunt. Hoc ipsum demonstrationis genus est peculiare Lullio, estque certissimum quod pro confirmatione praedicati de aliquo subiecto possit haberi. Ipsum explicavit per suum ?ivum, abile? et ?are?.

Hinc certissimam verissimamque demonstrandi rationem sumere licet. Undenam enim melius aliquid bonum esse possumus argumentari, quam ex eo quod ?ivum? est, quod scilicet principium intrinsecum habeat benefaciendi seu faciendi boni? quam ex eo quod habet ?are?, id est benefacere, quod benefacit vel bonum efficit, sicut solem esse calidum ex eo quod calefacit, lucidum ex eo quod lucet, lunam esse luminosam ex eo quod illuminatur, quod est per ?atum?. Hoc non est ostendere per effectum, neque per causam, neque per utrumque. Cum enim ostendo veritatem solis per suam lucem, non ostendo per effectum; lux enim non est effectus solis, sicut neque calor, ut eius est forma perpetuo subiectum concomitans, non est effectus ignis; sed lux illa quae est ab illo in corpus illuminabile diffusa, et calor iste qui calefactibili subiecto imprimitur, sunt effectus huius et illius: tale igitur ?are? et ?atum?, id est tale agere et ita natura affectum esse, rei veritatem non ab effectu neque a causa, sed ab eo quod est in ea ipsa, insinuant. In iis item quae coordinata sunt et ab invicem inseparabilia (ut in correlativorum contrariorumque existentia est etiam manifestum) citra rationem causae et effectus potissime contingit demonstrare. Sed huius considerationis locum satis in praesentiarum indicasse sufficiat, si quidem de hoc ipso latius alibi a nobis dictum est. De modo autem, quo ex appropriatis subiectoque convenientibus, ut partibus et principiis quae sunt in facto permanentia, atque propriis affectionibus aliquid de subiecto licet enunciare, in superioribus satis commonstravimus.

## IV. Membrum.

Itaque artem hanc a Raymundo Lullio adinventam ita complevimus et ab omni contemptibilitatis praetextu vindicavimus, ut omnino proprium orbem adeo complevisse cognoscatur, ut omnino impossibile sit ei (pro homogeneis) aliquid amplius adiicere. Si quae autem sunt quae latiore videntur explicatione indigere, qualis est amplior et extentus tabulae magnae typus, haec omnia et alia ad horum circumstantias facientia sufficientissime in libro ?De architectura artis Lullianae? a nobis extant enucleata, cuius quidem pertractationis intentiones istis adiectae patefacient nos nihil eorum, quae ad facultatem usumque praesentis artis faciunt, praetermisisse. Quicunque igitur horum futurus lector es et studiosus, si hactenus istas minus fueris assequens intentiones, roga Deum ut repetitis actibus consequaris, quae quanto profundiore coniectaveris ingenio, tanto ex intimioribus inventionis istius efferes encomia, et tanto maiores Lullio inventori, mihi excultori et Deo bonorum omnium elargitori gratias agas.